DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
JURAMENTO SUPPLETORIO,

QUAM
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA
Ex Decreto & Authoritate
MAGNIFICI JCTORUM IN
ILLUSTRI SALANA ORDINIS
SUB PRÆSIDIO
VIRI Ampliſſimi, Conſultiſſimi atque Excellentiſſimi
DN. JOHANNIS STRAUCHII
Philoſ. & J. U. D. P. P. Conſiliarii Saxonici Dicaſterii Provincialis & Scabinatus Aſſeſſoris Graviſſimi, Promotoris ſui æternûm devenerandi,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
ritè capeſſendi
Publicæ Eruditorum disquiſitioni ſubmittit
FRIDERICUS ERNESTUS Knorr/
HALLENS. SAX.
In Auditorio JCtorum
Ad d. Mart. horis ante & pomeridianis.

JENÆ,
TYPIS GEORGII SENGENWALDI,
ANNO CIƆ IƆC LV.

I. N. D. N. J. C.

CAPUT PRIMUM
DE
Origine, Ethymologia, Homonymia & Definitione Juram. Suppletorii.

§. 1.

MAximum expediendarum litium remedium in uſum venit Jurisjurandi Religio, quâ vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex auctoritate Judicis controverſiæ deciduntur *l.1.ff. de jurejur l.2.§.8.in f.C.de jurej.propter calum.c.Etſi Chriſtus 26.§.Jacobus X.de jurejur.* Ne ſcilicet litigantes veluti Ixionis rotæ alligati perpetuo divexentur. *Coraſ.in Com.ad t.de Stat Hom l.25.lit.D.* Unde & apud *Plat.in lib.12.de LL.* de Rhadamantho refertur, quod Judicia non hominibus, ſed Diis ipſis committenda eſſe ſtatuerit, atque ideò ſimpliciter & magna celeritate rem egerit, & intima cauſæ velut DEUS quispiam inſpecturus, à litigantibus de ſingulis controverſiæ capitibus, jusjurandum poſtularit, quo præſtito liti finem tuto & celeriter impoſuit.

§. 2. Quod litium remedium & Sacro Codice ſatis probatum invenimus *Geneſ.22 v.16. Jerem.51. v.14. Ezech.33. v.11. Luc.1. v.73. ad Heb.6. v.16.* Licet hypocritarum quorundam delira hæreſis nusquam jurandum eſſe clamitet, egregiè tamen *Bellarm. Dom. Soto. Thom. de Aquin.* illam refellunt. Non autem nimis faciles & leves in jurando eſſe oportet, ſed (niſi neceſſitas aliud flagitet) imitandus ſæpè Clinius Pythagoricus, de quo *Baſil. Magn.* refert, quod cum mulctam trium talentorum per jusjurandum evitare potuiſſet, injuriam pati quam jurare maluerit.

An juram. probat. ſpecies. §. 3. Communiter etiam Jusjurand. inter probationis ſpecies à Dd. refertur, quod tunc maxime verum ſi vocabulum probationis latè & in ſenſu juridico accipiatur, pro rei ſcil. dubiæ apud judicem facta oſtenſione *arg l. 3. & 4 C. de probat.* quæ rectè etiam per juramentum fit, & modo ſaltem à teſtibus & inſtrumentis, non eſſentia & fine differt. Nec impedit quod juram. magis ab onere probandi relevet *l. 30. pr. ff. de jurej* quia hoc reſpectu ejus, qui defert, non autem ejus qui præſtat, verum eſt. Conf. *Dn. Hahn. in Obſerv. ad VVeſenb. t. de probat. n. 1. & 3.*

Sedes juram. Suppletor. §. 4. Inter Juramenta autem, quibus ex autoritate judicis controverſiæ terminantur, non ultimum locum Juramentum Suppletorium ſibi vendicat, (Cujus primaria ſedes *in l. 3. C de R. C. l. 31. ff. de jurejur. c. f. X. eod.*) quod *Ant. Fab de Err. pragm. dec. 19. Err. 1. & in Cod. 4. t. 1. def. 4. n. 5.* inveteratis pragmaticorum erroribus annumerat, acriterque contendit, hoc juram. rationi juris antiqui non convenire, ſed conſuetudine & uſu tempore Juſtiniani receptum eſſe. *Origo.* Sufficit tamen hoc ad adſtruendam hujus juramenti autoritatem, & nihil cauſæ eſt, cur ad Juſtiniani tempora referri, aut cum *Fabr. in l. 31. ff. de jurej.* Triboniano adſcribi debeat, cum, præſertim etiam in *l. 1 ff. d. t. & l. 3. C. de R. C.* jurisjurandi à judice delati fiat mentio, & male *Ant. Fabr. d. l. 3.* ad juramentum quod pars parti defert in judicio, refert, quia ſi rationem juris antiqui ponderamus, irregulare planè habendum eſt, & longè magis rationi illius juris convenit, ut per judicem, quam ut per partem lite conteſtata juramentum deferatur *Bachov. ad Tr. v. 1. d. 21. th. 10. l. a.*

Ethymologia. §. 5. Juramentum à jure deducitur, quod id quod juratum, pro jure & lege ſit habendum ſancteque ſervandum *l. 5. §. 2. ff. de jurej.* dicitur etiam Jusjurandum *l. 1. pr. ff. d. t.* quod quidam dictum volunt, quaſi Jovis jurandum cum per Summum Deum concipiendum ſit, licet olim variæ jurandi formulæ in uſu fuerint ut apparet ex *l. 3. §. ult. l. 4. 5. 13. § f. d. t. l. 2 C de R. C.* Sacramentum *l. 5. §. 1. C. de LL.*

l. 11.

l.11.12.C.de R.C.l.f.de fideicomm. item Sacramenti Religio *l.f.§.pen.C.de jur.dom.impetr.l.2.l.6.& ult.C.de R.C.* quia eſt rei ſacræ & religionis arctiſſimum vinculum *l.1.C.de in lit.jur. Oldend.Cl.1.Act.9.pr.* & cum omni honeſtate & timore Dei præſtandum *c.honeſtum 22.qu.5.* vel quia jurans non ſolùm ſacro teſtimonio aſſertioni ſuæ fidem facit, ſed etiam ſimul ad pœnas & ultionem divinam ſe ſacrat, ſi ſciens pejeret.

§. 6. Lingua vernacula nominari conſuevit Eidt ab Ein/quaſi Eindt unitum ſcilicet cum eo, qui ſolus verè unus eſt; aut quia juram. eſt individuum & unicum *Card. Tuſch.l.4.Concl.Pr.499.* vel etiam ab Endt/à termino ſeu fine, cum controverſiarum finis ſit *l.1.l.40.ff.de jurej.l.3.6.C. eod.* Item Schwur/& Schweren à gravitate,quia jurare eſt res difficilis & periculoſa. *Hillig.in Donell.Enucl.lib.22 c.13.in not.L.D Setſer.de juram.lib.1 c.1.n.2.& ſeqq.*

§. 7. Suppletorium vel ſuppletivum ideò vocatur, quia in cauſis dubiis in ſupplementum probationis à judice defertur *l.3.C.de R.C.c.f.X.de jurejur.* vel defectum probationis ſupplet *c.ſicut conſuetudo.2.X. de probat.* Wann nicht gnugſam erwieſen wird der Eyd zu Erfüllung des unvollkommenen Beweiſes von dem Richter den Part ertheilet. Hoc ſuppletorium communiter Juram. Neceſſarium dici ſolet, vel (1) ex parte judicis, qui neceſſitate & inopia probationum cogente,concurrentibus requiſitis imponere neceſſe habet.*l.3.C.ibique Bart.in verbo oportet* (quod neceſſitatem infert *c.oportet 8.qu.1.*) *C.de R.C.* vel (2) ex parte ejus, cui id imponitur, quia is jurare cogitur,nec delatum alteri referre poteſt. *c.f.X. de Jurej. Schneid. ad §. Si quis poſtulante 11.J.de act.n.40 & 41. Setſer. de Juram.4.c.10.* *Cur dicatur Iur. neceſſarium.*

§. 8. Juramentum Suppletorium eſt quod à judice in cauſis dubiis, ſeu in defectum legitimæ probationis uni litigantium cauſa cognita defertur. *l.3.C.de R.C.c.f.X.de jurej.Setſer.d.tr.4 c.11.n.7.& 8. Althuſ.dic.ol.3.c.40.num.17.* Hujus deſcriptionis explicatione hoc loco ſuperſedebimus cum in ſeqq.capit.ſatis enodetur. *Deſcriptio.*

CAPUT SECUNDUM
DE
Inopia probationum & Semiplena probatione.

§. 1.

IN probationum inopia deferri Juram. Suppletorium, pateſcit *ex l.3. C. de R. C.* Non tamen in omni & quavis (ſi enim actor planè nihil probavit, reus abſolvitur *l.4. C. de edend.* (quia tunc non inopia, ſed defectus probationum adeſt) Sed in hac, quam judex cauſa cognita juramento ſupplendam ſtatuerit *d. l. 3. C. de R.C. Donell. de jurej. c. 11. n. 3.* Cauſa autem tunc inopia probationum laborare dicitur; Cum non adſit tantum probationum, ut ex his judex de re in alterutram partem judicare poſſit. *Donell. d. l. n. 7.* Quod alii interpretantur, ſi ſemiplenè tantum in cauſa probatum i.e. ſi rei geſtæ aliqua fides facta, non tamen tanta, ut jure eam in ſententia ferenda judex ſequi poſſit. *Maſcard. de Probat. v. 1. qu. 4. n. 17.*

Vox ſemiplenæ probat unde?

§. 2. Semiplenæ quidem probationis vocabulum nusquam locorum in Jure Noſtro deprehenditur, neque etiam Veteribus cognitum fuit, ſed ſaltem ab interpretibus ex hujus loci difficultate ſe extricare volentibus, effictum, teſte *Donell. d. l. n. 4.* Ex quo etiam *Ant. Fab decad. 19. error. 1.* graviter contra hoc juram. pugnat, quod non dicatur probare, qui ſemiplenè probat, cum probatio legitimam & plenam denotet. *arg. l. 4. l. 14. C. de prob.* & ſemiplena probatio contradictionem in adjecto implicare videatur. Verum quia ſemiplenè probans, aliquid, licet non plenè, probat, Interpretes ſemiplenam probationem medium eſſe docent, inter plenè & nihil probare.

Cauſa dubia quæ?

§. 3. Rectè etiam per cauſam dubiam *in l. 31. ibi: ſolent ſæpè judices in cauſis dubiis & ff. de jurej.* ſemiplenā probationem intelligimus; Licet *Duar 2. diſp. Ann. 33. & Donell. d. tr. c. 11. n. 6.* illam dicat dubiam, in quâ par utrinque tam actoris quàm rei probatio judici dubium movet, quid in alterutram partem ſequatur, & ideò deferendum juram. ſuppletor.

pletor. ut judex quod in alterutram partem præponderet, habeat. Sed quia rariſſimè contingit, ut pares ſint utrinque probationes, ideò veriſimile haut eſt, hanc JCti *Gaii in d.l.31.* mentem eſſe, alias enim rariſſimè juram. noſtrum locum inveniret, & hanc *Donell.* opinionem tanquam nullo jure nitentem ferendam non eſſe not: *Peretz. in C.de R.C.n.23.* Quænam autem ſemiplena probatio ſit, & dicatur, judicis arbitrio committimus cum *Magnif. Dn. Carpz.p.* 1. *C.23.d.4.n.2.*

§. 4. Et cum judex ex facta ſemiplena probatione nihil certi (*uti in* §. 1.*dictum*) in cauſa ſtatuere poſſit, neceſſe habet imperfectam hanc probationem juram. ſupplere *l.3.C.de R. C.* & ſic ex his imperfectis, ſemiplena ſcil. probatione & juramento perfectam efficere *Sichard.ad l.3.C.de R.C.n.12.in f.* Plures enim imperfectæ probationes ad unum eundemque finem tendentes, ſi conjungantur, plenam probationem inducunt *c.prætereà 27.X.de teſt. & atteſt. Mynſ.2.O.100.vid. Berlich.p.1.c.39.num.127.& ſeqq.Carpz.3 T.7. R.66. Maſcard.de Prob.v.3.c.* 1213. quod probationum favore receptum, ne earum facultas anguſtetur. *l.21.in f.C.de hæret. & manich.* *An imperfectæ prob. conjungi poſſint?*

§. 5. Ut autem ſemipl. probatio juramento ſuppleri poſſit, neceſſario & verè, non præſumptive concludere debet *Mynſ.1. O.68.n.*1. Notabilis tamen exceptio eſt in ſpoliato, qui damna rerumque ablatarum valorem, contra ſpoliatoris heredem ex ſemiplena probatione non neceſſario, ſed tantum probabiliter & ſecundum communiter accidentia concludente, juram. ſuppl. probare poteſt, & ita in Camera obſervatum fuiſſe, teſtis eſt *Mynſ.3. O.12.n.9* Licet alias contra ipſum ſpoliantem rerum ablatarum valor per ſolum ſpoliati juram. prævia judicis taxatione, probetur ex Conſt. Zenon *in l.9.C.und.vi & c.ult.X. de his, quæ vi met. &c. Mynſ.d.l.n.1.* *Qualitas ſemipl. probat.* *Exceptio.*

§. 6. Alias ſi contra ſemipl. probat. aliquæ probationes vel præſumtiones juris vel hominis, illam elidentes & extenuantes ſuperveniant & militent, juram. hoc

defe-

deferendum non erit. *Menoch.1.præſ 8'. Ant.Fab.in Cod.4.t.1. d.4 ʒ.Maſcard.v.1.c.956.n.23.Mynſ.1.O.68.n 5.& 5 O.68.n 3.* E. g: Si mercator mercium ſarcinulam rei vindicatione petat; illamq; ſigno ſuo ſignatam probat, adverſario ècontra uno teſte ſuam eſſe probanti, juram. ſuppl.non defertur, cum ob ſignum præſumtio juris pro actore ſit *arg. l. 14. §. 1. in f.ff. de peric.& com.rei vend.* quæ rei ſemipl.probationem debilitat. *Menoch 2 præſ 58 n.4.*

Unius teſtis ſemiplenè probat. §. 7. Prælibatis hiſce generalibus. Nunc ad nonnullas ſemiplenæ probationis ſpecies quas communiter Dd. ad Juram. Suppletor. deferendum, ſufficientes arbitrantur, progreſſum faciemus. Inter illas autem primas tenet Semiplena probatio per Unum Testem facta, cum duo teſtes plenam conſtituant *l.12 ff. de teſt.c li. et.23 c.veniens 10.X.eod.t.* Modo is omni exceptione major ſit *Mynſ.1.O. 68.n.1.* id eſt cui nulla exceptio mundi (ut Dd.loquuntur) tam ratione perſonæ, quàm quoad dicta & examinationis formam objici poſſit *l.14.in f.C.de contr. & com.ſtipul.l.18.* *Limit.* *C.de teſt. Farin.tr.de teſt.qu.61.num.1.& ſeqq.* Nam ſi qua vel minima præſumptio ſit contra teſtem, vel contra producentem, aut etiam contra ipſum teſtimonium, ſemiplena probatio dubia redditur, nec ejus ratio habetur. *Ant.Fab. in Cod.4.t.1.d.4.n.9. per arg.c.1. de præſ.in 6. Carpzov p.1.c.13.d.5. n.2.& 3.*

Teſtis exceptione major non eſt. 1. Ratione perſonæ. §. 8. Unde ratione perſonæ omni exceptione major non eſt Infamis *l.3.pr.ff.de teſt.* qualis & uſurarius *Azo in Sum.C.de his qui not.infam.n.9.* Propter amicitiam vel inimicitiam ſuſpectus. *l. 21. §. 3. ff. l. 17.C.de teſt Farin.qu.53.n.51. & ſeqq. Hahn. in Obſ. ad Weſenb.t.de teſt.num. 7. Sichard.ad l.3. n.15.C.de R.C.* Affinis, Compater. *Maſcard. de prob. Concl.956. num.10. Roſb.Pr.Civ,t.67.n.11.* Mulier. *Tiraq. de LL. Connub.l.9. num.74.* Domeſticus *l.17.l.24.ff.l.1.C.de teſtib Farin.de teſt.qu. 55.num.7.& ſeqq.* *An mulier dotem juram. ſuppl. probare poſſit?* Unde vidua dotis promiſſionem & conſtitutionem ad obtinendum dotalitium uno teſte fratre ſuo probans, in ſupplementum jurare nequit. *Carpzov. 6. t.6.R.56.num.17.* Nec mariti de dote illata confeſſio & teſtimo-

ſtimonium,ad juram. ſupplet.uxori imponendum ſufficiens,quia ſimulationis plenum, adeoque in fraudem reliquorum creditorum dictum præſumitur. *arg.l.37.§.6.ff.de Leg.3.l.27.de prob.Coler.de P.E.p.3.c.2.n.110.& ſeq. Carpz. 4.t.3.R. 24.n.1.& p.1.C.28.d.75.* Et hæc præſumptio maximè augetur, ſi tempore confeſſionis æs alienum appareat *Menoch. 3. præſ. 3. n. 24.* Vel poſt confeſſionem uxori factam maritus ab aliis pecuniam accipiat, quibus mulierem præferri novit *Bart. in l.15.ff.de donat.* In caſu verò, quo mulier pacta dotalia à propinquis & aliis ſubſcripta & ſignata producit, quibus poſtea ex intervallo mariti confeſſio de dote recepta ſubſecuta ſit, nec tempore confeſſionis æs alienum appareat, tunc ad juram. ſupplet. admittenda erit *Berlich.p.1.C.65,n.60.& ſeqq.Finckelt.O.22.n.18.* Nec etiam Parentum uxoris teſtimoniũ ſufficit *Carpz.d R.n 9.per l 9 ff.& l.6.C.de teſt.Ant.Fab.in Cod.4.t.1.d.* 42. At bene teſtis extranei omni exceptione majoris *Finckelt.d.O.n.17.19.* Non etiã exceptione major Vaſallus *Farin.qu.55.n.182.& ſeqq.* Subditus pro domino *l.6.ff.de teſt.* In caſu tamen, ubi veritas aliter haberi nequit, ſubditus pro domino, remiſſo in hac re ipſi juramento, admittitur *Carpz.p.1. C.16. d.64 n.4.& 5.* Teſtis ex univerſitate in cauſa univerſitatis *Socin. Reg.* 252. *fall.70.Habn in obſ ad W.d.t.p.ag.105.& 106.*

§. 9. Ratione atteſtatorũm omni exceptione major non eſt teſtis, ſi dicti rationem etiam non interrogatus non reddat *l.4.C.de teſt.Maſcard.1.Concl.956.n.14.* rationi enim potiùs, quàm verbis ſtandum *c.f.§ ſola 4. qu. 2.* Cum illa ſit, quæ dat eſſe ejus atteſtationi. *Bald.in d.l.4.* Dictum ejus non verè & neceſſariò, ſed præſumptivè tantum concludat ex.gr.ſi quis ſe ideò ſcire affirmet, quia vicinus vel conſanguineus. Si non ſuper ipſo facto, ſed ſuper indicio ad factum deponat. e.g. ſi dicat ſe audiviſſe de ſoluto debito, non autem vidiſſe numerationem *Ant.Fab.in Cod.4.t. 15.d.11.* Item ſi de eo deponat, quod non ſenſu corporeo *l.18. C. de teſt.* ſed judicio intellectus percipitur, ex. gr. de dominio, de jurisdictione, furore & ſimilibus *Schrader. ad l.31.n.309.ff.de jurej.* Deponat de eo, quod non eſt veriſimi-

2. Ratione dictorum.

 le.

le. Vel primo deponat, & poſtea retractu temporis variet, per iſtam n. variationem dicto minor fides adhibetur *Socin.de R.fall.37.Berlich.p.1. Concl.54. n. 86.* Factum non plenè deponat, vel in ſubſtantia, ſecus ſi tantum in accidentiis, deficiat *Maſcard.Concl.956. n.12.& 13.*

3. Ratione examinationis. §. 10. Semiplenam probationem haut facit teſtis non legitimè examinatus, puta ſi adverſa pars ad videndum jurare non ſit citata *l.19.cum auth.ſeq.C. de teſt. & c. 2. X. eod.* Si coram judice incompetente *Nov.60.c.2. Berlich.p.1.C. 54. n. 74. Socin. reg. 252.fall. 58.* vel à Notario extra judicium *Schrad.ad l.31.n. 288.ff.de jurej.* vel Ante L.C. *c.quoniam frequenter 5.X.Ut lite non conteſt.non proced.* Non ad interrogatoria & articulos vel ſuper interrogetoriis, ante articulos *Ruland. tr.de Commiſſ.p.1.lib.1.c.8.n.2.& ſeqq.* Non prævio juramento *l.9.C. & c.51.X.de teſt.* de facto deponat.

4. Ubi lex certum numerum teſtium pro forma requirit. §. 11. Multo minus ſemiplenam probationem unus teſtis operatur, ubi lex vel ſtatutum certum teſtium numerum exigit. *Maſcard.Concl.956.n 18.& 19. Altbuſ. dicæol 3. c. 40.n.19.* Vel ubi plures ad ſolennitatem actus requiruntur (ex.gr.in teſtamentis ſolennibus *l.21.C.de teſt.* donatione mortis cauſa *l.f.C.de mort.cauſ.donat.*) quorum uno deficiente, totus actus corruit. *Salic.in l.3.n.16.C.de R.C. Socin.reg. 252.fall.33.Carpz.p 1.C.23.d.4.n.7.* Ubi enim duo non plenam, ibi nec unus ſemiplen.facit probat. *Maſcard. d.C.n. 17. & 19.* Ex qua cauſa teſtamentum, etiam tempore peſtis coram duobus teſtibus conditum, corruit, ſi unus antequam voluntatem teſtatoris jurato declaret, moriatur, nec heres cum ſuperſtite teſte ad juram.ſupplet.admittitur *Carpz. 6. t.2.R.13. n.13.*

Teſtes Singulares an ſempl.prob? §. 12. Teſtes ſingulares an ſemiplenam probationem & exinde juram. ſupplet. locum faciant, inter Dd. non convenit propter *c.bonæ memoriæ 13. verſ. ſinguli tamen X. de elect. c. licet cauſam 9. verſ. quanquam X. de probationibus.* Et cum alter alterius fidem debilitet *Ant.Fab. in Cod. 4.t.17. d. 46.n.2.* *Diſt.* Nos cum *Farin.tr.de teſt.qu. 64 n. 4.* diſtinguimus (1) inter ſingularitatem obſtativam ſeu contrariam, qualis in teſtibus Suſannæ *Dan. 13.* invenitur, illi ſingulares nihil

pro-

probant, proinde nec juram. ſupplet. locum facere poſſunt. *Weſenb. in Com. ff. t. de teſt. n. 6. verſ. ſingulares.* (2) Adminiculativam (aliis cumulativam) quæ contrarietatem non continet, ſed ad eundem finem, licet per diverſa media, tendit & in effectu convenit. *Mynſ. 2. O. 20. Maſcard. de prob. v. 3. C. 178.* ex. gr. ſi unus teſtis de numeratione, alter de confeſſione deponat, & illi non niſi vel ſemiplenè probant, locumque juram. in ſupplem. tribuunt, vel quandoque plus quàm ſemiplenè, pro judicis arbitrio, vid. *Carpz. p. 1. C. 16. d. 40. n. 5.* (3) Subalternam ſeu diverſitatem, quando teſtes de diverſis actibus deponendo, diverſitatem in re, in ſubſtantia, & in effectu, inducunt, ut ſi unus de illo loco & illo tempore, alius de alio loco & alio tempore probet, in his maximum erit judicantis arbitrium *Hahn in Obſ. ad Weſenb. t. de teſtib. pag. 111. & 112.* adde *Carpz. 3. t. 7. R. 66. Maſcard. c. c. C. 956. n. 20*

§. 13. Privatæ ſcripturæ, quâ quisque propria annotatione ſibi debitorem conſtituit, haut creditur *l. 7. C. de probat.* ideò nec rationes defuncti in bonis ejus inventæ, ad debitæ quantitatis probationem ſufficiunt *l. 6. & 7. C. d. t.* (Idem juris ſi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem aut rem ſibi deberi ſignificavit *d. l. 6.*) *Carpz. p. 1. C. 17. d. 34.* Si tamen defunctus fuerit vir bonæ opinionis & famæ in gradu præcellente (ut loquitur *Paul. de Caſtr. ad l. 31. n. 43. ff. de jurej.*) liber debitam rationum formam habeat, data & accepta contineat, & ante litem motam ſcribens deceſſerit, tunc pro ejus herede vel præſumptionem ſecundum *Bart. in l. 31. n. 17. Gail. 2. O. 20. n. 4.* vel ſemiplenam probationem inducit juxtà *Caſtrenſ. l. 31. n. 43. Boer. deciſ. 105. n. 5. Maſcard. 2. C. 975. n. 4. & ſeqq.* Ita ut heredi rationes defuncti producenti & de facto inſtructo, juram. ſupplet. judex deferre teneatur, quod ex *Angel.* refert *Sichard. ad l. 6. C. de probat. n. 6. & 7.* *Privata ſcriptura:*

§. 14. Libri rationum Tutorum, Curatorum, Procuratorum, Negotiorum Geſtorum pro ſcribente absque aliis adminiculis fidem non faciunt *Dec. in l. 1. C. de edend. & c. 2. n. 17. X. de fide inſtr.* Si tamen contineant ſummas parvas *Libri rationum tutorum, curat. &c.*

& maximè veriſimiles, data & accepta, clarè & diſtinctè *l. 82. l. 111. ff. de condit. & dem.* adjecto die & conſule *l. 1. §. 2. in f. ff. de edend. l. 4. C. de Navicul. lib. 11.* & judex impendia rerum & alimenta pupillorum veriſimiliter tanti conſtitiſſe deprehendat *arg. l. f. C. de alim. pupill. præſt.* pro ejus arbitrio tunc ſemiplenè probabunt, & juramento ſuppleri poterunt *arg. l. 36. §. 2. in f. ibi hæc domini domus ſacramento dirimetur C. de donat. Maſcard. 2. C. 975. n. 61. & ſeqq. Beuſt. ad l. 31. n. 1025. ff. de jurej. Sichard. ad l. 3. n. 34. C. de R. C. Munnotz. ab Eſcob. tr. de ratiocin. adm. c. 10. n. 64.*

Libri Mercatorum? §. 15. Ut Mercatorum libri ſemiplenè probent, locumque juram. ſupplet. faciant, quatuor concurrere debent. (1) Ut mercator ſit bonæ famæ, & veritatem ſcribere conſueverit *arg. l. 13. §. 1. ff. de uſur. Gail. 2. O. 20. n. 2. & 3.* (2) Cauſa debiti ſit expreſſa *l. 25. §. f. ff. de probat.* aliàs ſtipulanti non expreſſam cauſam habenti doli exceptio obſtat *l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. except.* quia ſcriptura ſola non eſt modus conſtituendi obligationem *Sichard. ad l. 3. n. 36. C. de R. C.* (3) Libri data & accepta cum dierum aſſignatione contineant. *arg. l. 81. ff. de cond. & dem. Wurmſ. 1. t. 17. O. 3. H. Piſt. O. 86.* (4) Rationes vel manu ipſius mercatoris, vel ab adminiſtratore, inſtitore, aliave certa perſona honeſta fideque digna ſint conſignatæ *H. Piſt. O. 86. n. 15. verſ. ſiquidem ab adminiſtratione &c. Carpz. p. 1. C. 17. d. 35. & lib. 3. t. 6. R. 58. n. 14. Hahn in Obſ. ad Weſenb. t. de fide Inſtr. n. 6 pag 97.* Diſs. *Gail. d. l. n. 3. Finckelt. O. 79. n. 15.* qui propriâ mercatoris manum requirunt.

Libri mercat. tantum rat. commerciorum ſemipl. prob. §. 16. Et hæc quæ jam de mercatorum libris dicta, ad cauſas commerciorum & negotiationis ſolummodo reſtringimus *arg. l. 3. §. 1. in f. ff. naut. caup. Gail. d. l. n. 8. Carpz. d. l. d. 38.* Cum mercatores ob emptorum egeſtatem de mercium venditarum pretio plerumque ipſorum fidem ſequi cogantur *Bachov. ad Tr. v. 2. d. 2. th. 2. l. b in f.* & mercium emtoribus ſine chirographo credere ſoleant, ideò non iniquum erit, plus firmitatis illorum libris tribui, cum & aliàs in cauſis mercatorum non de apicibus juris, ſed æquitate & b. f. diſputandum *l. 29. §. 4. ff. mand. A. Fab. in C. 8. t. 27. d. 3.*

d.3.n 3. vid. Maſcard. 1. C. 975. n. 12. & ſeqq. Inſuper hic notandum, libros mercatorum etiam ipſorum morte confirmatos, plenè non probare, priusquam heredes in ſupplementum juraverint. *Carpz. 6.1.10. R. 121.* Diſs. *Gail. 2. O. 43. n. 6.* ad cujus rationes infra *c. 5. §. 10.* reſpondebimus.

§. 17. Hactenus de ſcripturis privatis. Quid ſi Inſtrumentum ſolennitate aliqua deſtituatur, an tantum ſemiplenè probet; ut juram. ſupplet. confirmari poſſit? ex. gr. ſi non ſignetum Notarii, ſed privatum ſigillum inſtrumento fuerit appoſitum. *Scab. Lipſ. M. Nov. Anno* 1641. ejusmodi inſtrumentum de jure nullum eſſe pronunciarunt, eò quod appoſitio Signeti Notariatus pro forma & ſolennitate requiratur ſecundum *Receſs. Imp. Colon. de Anno* 1512. §. Und nach dem von gemeinen Rechten *&c. verſ.* und zu letzt das Signet und Unterſchrifft der Notarien geſetzet werde. *Carpz. 3.1.8. R. 85.* Verum à *Dn. Scabin. Hallenſibus* in eadem cauſa media quaſi via fuit electa, & deciſio lata *die 16. Auguſt. Anno* 1643. fidem Inſtrumenti ab actore producente, juram. ſupplet. corroborandam eſſe. Verba ſententiæ ita ſe habent: Würde Kläger und Leuterant Beklagtens gethane Erklärung und Bekantnüß / inhalts des ad acta fol. 62. & ſeqq. gebrachten Inſtruments vermittels ſeines leiblichen Eydes ſo viel ihm davon bewuſt beſtärcken / und alſo in ſupplementum ſchweren / immaſſen ihm zu thun obliget: So erſchiene daraus &c. Et hæc ſententia etiam à *Magnif. Facult. Jur. Jenenſ. M. Jan. Anno 1646. confirmata eſt, teſte Magnifico Dn. D.* Richtern. *p. 1. deciſ. 32. n. 27. inf.*

Inſtrum. ſolennitate carens an ſemipl. prob.

§. 18. Effectum ſemiplenæ probationis habet etiam Confeſſio extrajudicialis abſente adverſario facta, modo illa duobus teſtibus probetur, cauſaque obligationis exprimatur *per tx in c. ult. poſt. pr. X. de ſucceſſ. ab inteſt. arg. l. 58. §. 2. ff. de ædil. edict. Maſcard.* 1. C. 347. *n* 29 quo caſu talem confeſſionem pro ſe habenti juram. ſupplet. deferri poteſt *A. Fab. in C. 4. t 14. d 25. n. 4. Carpz. 3.1.7. R. 67 n 9. &* 11. Si enim confeſſio extrajudicialis geminata plenè probat, uti verum eſt *arg. l. 22. C. ad SCT. Vell. Berlich. p. 1. C. 36. n. 12. Carpz. p. 1. C. 16.*

Confeſſio extrajudicialis.

 d. 21.

d.21. ſimplex certè ſemiplenè probabit *Sichard. ad l.3.n.19.C. de R.C. Peretz.t. C. de Confeſſ. n.17.* Similem effectum habet confeſſio extrajudicialis parte præſente, ſine cauſa tamen facta. *l.25.§ f.ff. de probat. c.18.X.d. fide inſtrum. Sichard. d.l. n.20. Maſcard.1.C.345.n.27. Socin. reg.93. Carpz. p.2.C.29.d.14 n.9. Berlich. d.l. n.103.*

Confeſſ. extrajud. ſine cauſa.

Præſumptiones quid probent?

§. 19. Præſumptiones interdum etiam ſemipl. probat. conſtituunt, modo ſint graviores, efficatiores ſeu vehementiores *Maſcard. 2.C.956.n.7.* Unde ob præſumptionem juris non levem, ſed ſolidam & vehementem, pro majori firmitate & cautela juram. ſupplet. deferri poſſe, notat *Menoch.1.præſ.82 n.1.& 2.* quod etiam ad præſumptionem hominis vehementem trahit *d.l.n.6.* Nos quæ præſumptiones ad hoc juram. ſufficientes ſint, Judicis arbitrio relinquimus. Quid ſi chirographum penes debitorem cancellatum reperiatur, an liberatus habeatur? Nego. Niſi probet à creditore ſibi redditum, poſt factam à ſe ſolutionem *Accurſ. ad l.1. lit.y.ff. de pact. l.15.C. de ſolut. A. Fab. in C.8.t.29.d 1.n.1.* Nihilominus pro debitore haut levis oritur præſumptio, ſi integræ ſit exiſtimationis, quæ ipſi prodeſſe poteſt, ut vel in creditorem onus probandi transferatur *l.24 ff de probat.* vel petenti debitori de ſolutionis veritate aut chirographi redditione juram. in ſupplementum deferatur *arg.l.3.C. de R.C.* Quod ipſum tamen non ſemper verum, ſed in cauſæ cognitione verſatur & pro cauſarum & perſonarum varietate judicis arbitrio committendum (ſi enim debitor fuerit perſona domeſtica vel depoſitarius rerum creditoris, contra ipſum militat præſumptio) *Carpz. p.2. C.29.d 12.* Illi etiam, qui per unum teſtem promiſſionem, de reddenda obligatione probavit, juram. ſuppletorium ſuper ſolutione deferri poteſt, hæc enim probata promiſſio adeò ſolutionis probationem inducit, aut potius pacti de non petendo, quod ex ipſa inſtrumenti redditione induceretur *l.2.§.1.ff. de pact ff Fab. in C.4.t.1 d.30.*

An ex chirographo cancell. ſolutio præſ.?

§. 20. Comparatio literarum (quæ non niſi ex ſcriptura

pu[illegible] ſubſcripta vel ex archivo publico producta, [illegible] *l.10.& auth.Ad hæc. C.de fide inſtr. Carpz.3.t.8. R.84 n.1[illegible]* ſola contra negantem plenam facit probationem, ſi literarum & ſigillorum concordans ſimilitudo per omnia inveniatur *Col.de P E.p.3.c.1.n.145.Carpz.p.1. C.17.d.15. n.4.* Si verò aliqua diſſimilitudo appareat, non niſi ſemiplenam *Maſcard.v.2.C.330.n.22 Setſer.de Juram.4.c.12.n.10.* quæ à producente juramento ſuppleri poteſt. *vid. Menoch. 2. A. J.Q. caſ.114.n.8.& 9.* *Comparatio literarū quid prob?*

§. 21. Fama regulariter in civilibus ſemiplenè probat *Mynſ.5 O 46.n.1.* (exceptis quibusdam caſibus quos congeſſit *Berlich.p 1. Concl 6.n.76 & ſeqq.* In quibus etiam plenè probat.) Quomodo a. fama probetur, videre licet ex *Mynſ.d.l n.3.& ſeqq.* & integro tract. *M. Freher. & Thom. de Piperata.* Et quando locum faciat juram. ſupplet. judicis arbitrio relinquimus. *Fama quid prob?*

CAPUT TERTIUM
DE
Cauſis in quibus Juram. Suppletor. deferri poteſt vel non.

§. 1.

JUramentum ſuppletorium tam in actionibus realibus, quàm perſonalibus *l 3.§.quacunque actione 1.ff de jurej. Azo in ſum. ad l.3.n.1.C.de R.C.* bonæ fidei quàm ſtricti juris contractibus *l. 3. ibi in aliis C. d.t.* Etiam in quaſi contractibus, delictis & quaſi delictis ſi civiliter agatur *Gl.in d l.3.* locum habet. Imo ubicunque conſtat & probatum eſt debitum in genere, ſuper quantitate ſtandum eſt juramento creditoris *Col.d.P E p.1.c.10.n.143.* Unde & ſuper lucro veriſimiliter ſaltem probato vel per unum teſtem liquidato, actor juram. hoc deferri ſibi petere poteſt *Col. d. l. n. 139.* & probato intereſſe in genere judicem ſuper quantitate ejus creditori juram. ſupplet. contra debitorem moroſum injungere poſſe, tradit *Col. d. l. n. 146. Carpz. 3. t.10. R.100.n.f.*

Defertur juram. ſuppler. in debito in genere probato.

In probatione Intereſſe.

Nec

Nec obſtat quod per id occaſio in immenſum jurandi detur, quia judex talem ſummam habita ratione perſonarum & ſubjectæ materiæ, refrenare non prohibetur. vid. *Carpz.p.2.C.29 d.14.n. f.*

An in cauſ. Criminal. §. 2. In cauſis criminalibus ſemiplenè probanti an juram. ſuppletorium deferri poſſit? magna inter Dd. lis eſt. Multi negativam indiſtinctè propugnant ex ea ratione, quod hæ cauſæ ſint graviſſimæ, in quibus probationes luce meridiana clariores exiguntur. *l.f.C de prob.u. l 16.C.de pœn.c.ſciant 2.qu.8.Scifer.de juram.4.c 15. n.8. Sichard. ad l. 3. n. C.de R.C.* Sed horum opinio tunc vera, ſi in cauſa criminali criminaliter agatur, & pœna corporis afflictiva veniat irroganda vid. *Fachin.1.C.J.15.Carpz p.1.C. 23.d.* 11. Secus

Diſt. ſi agatur civiliter, ut ex ea non niſi pœna pecuniaria inffligi poſſit, tunc enim huic, ut & aliis juramenti ſpeciebus (ex.gr.purgatorio) locus eſt. *Mynſ. 2. O.* 87. imo judex etiam ex officio deferre poteſt, præſertim ſi de probanda rei innocentia agatur *Moll.ad p.1.Conſt.23.n.11 & 13.* & ita intelligimus *l 3.§.1.ibi pœnali actione ff. de jurej.* Ubi n. criminaliter agitur, potius accuſatio, quàm actio dicitur *l.16. C. ad L.Cornel de falſ Bachov.ad Tr.v 2.d 21.th.10. l.a.*

An in cauſ. matrimonial.? §. 3. Cauſis criminalibus Dd. Matrimoniales propter ſui difficultatem ponderiſque paritatem æquiparant, adeoque in illis luce meridiana clariores probationes requirunt. *Gail.2.O 94.n 1.& 2.* Qua ratione ſemiplenè probanti, nec contra matrimonium, ne ſcilicet ſit in poteſtate partium illud legitimè contractum diſſolvere, *c.mulieri 34.X.de jurej* nec pro matrimonio, ne ſcil. reus nolens volens, ſi actrix juraverit, in matrimonium contra ejus libertatem, detrudatur, juramentum ſuppletorium deferendum eſſe, defendunt *P.Heig p 2. qu. 16. n. 26. & ſeqq. Maſcard v 1.C.1023.n.1. Beuſt.ad l.31.n.269.ff de jurej. Berlich. p. 1. C 54.n 14.* Nos tamen favore matrimonii ſemiplenè il-

Affirm. lud probanti & jurare parato, conſideratis circumſtantiis & qualitatibus perſonarum, juramentum ſuppletorium Judicem deferre poſſe, putamus, ſi enim is qui ſemi-

plenè

plenè proba it, probitatis opinionem apud omnes habe-at, vitæ integritate ſit conſpicuus, & inferiorem ſuæ dignitati & conditioni vel ſaltem æqualem in matrimonium petat, quid vetat quo minus judex hoc juramentum petenti deferat? *Gail.* 2. *O.* 94. *n.* 12. *Setſer. de juram.* 4. *c.* 14. *n.* 12. *Schurff. cent.* 2. *conſ.* 47. *Bachov. d. l. l. a.* Nec obſtant rationes ſupra adductæ; Quia nunquam ad impoſitionem juramenti inſupplementum devenitur, niſi ſemiplena adſit probatio, quæ effectu deſtitui non debet, cui ſi juramentum in ſupplementum accedat, quis non dixerit matrimonii probationem luce meridiana clariorem; quo medio ſi matrimonium fuerit probatum, non habet reus ut conqueratur de ulla coactione, cum ſemel lubens ad hoc acceſſerit, promiſſionemque fecerit, quam ſuo diſſenſu rurſus revocare nequit *Carpz. JP. Conſiſt.* 3. *t.* 4. *d.* 46. *n.* 8. *Reſp. Diſſ.*

§. 4. Limitant etiam Diſſentientes ſententiam ſuam in eo caſu, quo plus quàm ſemiplenè matrimonium probatum, vel præter ſemipl. probationē inſignes præſūptiones pro juraturo militent *Beuſt. tr. de ſponſal. p.* 1. *c.* 42. *Heig. d. l. n.* 34. *Berlich. d. l. n.* 16. Unde & vitiatæ plusquā ſemiplenè matrimonii promiſſionem probanti, juram. hoc imponi poteſt. Nec impedit hoc, ratio *Cypræi tr. de matr. c.* 14. §. 19. quod talis mulier ſit infamis, cui non credendum, quia hoc ſolumodo de illa verū, quæ corpore palam quæſtum facit *l.* 43. §. 1. *&* 4. *ff. de R. N.* non de amaſia. Et quomodo ſtuprator huic objiciat infamiam, cum ſit in pari cum ea culpa? Imò admittitur ille ad juram. purgatorium *Beuſt. p.* 1. *c.* 47. cur ergo hæc non admittetur ad ſuppletorium? *Hahn in Obſerv. ad Weſenb. t. de ſponſal. pag.* 126. *An vitiatæ plusquam ſemiplenè probanti juram. ſuppletor. deferri poſſit?*

§. 5. In cauſis civilibus Magnis & Arduis juram. ſuppletor. regulariter non defertur, propter ſuſpicionem perjurii & ratione magni commodi *Gail.* 1. *O.* 108. *n.* 11. Magna a. vel parva cauſa quæ ſit, relinquitur arbitrio judicis æſtimantis, non tam ſecundum rei ſeu qualitatis, quàm litigantium conditionem, (quia centum aureorum ſumma inter pauperes litigantes, perinde cenſebitur magna, atq; *An in cauſis civil. arduis & magnis?*

C mille

mille aureorum inter divites *Cyn.in l.3.C.h.* Nonnunquam & locus rem alias minimam magnam facit, quid n. hodie aquâ vilius æſtimatur, poteſt tamen conditio loci, in quo ſi deeſſet cauſari ut magnum quid deeſſe, exiſtimandum ſit *Sichard.ad l.3.n.53. C.h.t.* Item præjudicium magnum vel parvum quod ex ſententia inferri poteſt, conſiderandum, *Wurmſ.1.t.14.O.12.n.1.Menoch.2.A.J.Q. cent.1.caſ.72.n.10.* In-

Limit. terdum tamen & in magnis & arduis cauſis hoc juramento locus eſt, ut ſi (1) plusquam ſemiplenè eſſet probatum *Boer.deciſ.85.n.4. Maſcard.2. C.956.n. 33. Gail. 1. O. 108. n. 11.* (2) ſi de aliquo incidenti illius magnæ cauſæ agatur *Bart. in l.31.n.55.& 56.ff.de jurej.* (3) ſi quæſtio non de proprietate, ſed ſola poſſeſſione, cujus reſpectu cauſa parva dicitur *l.un.C.ſi de moment.poſſ.appell. Beuſt. ad l.31.n.245. Berlich.p.1.C. 54.n. 4.* (4) ſi contra alteram partem eſſet aliqua præſumptio, ex mendacio, perjurio, vel aliunde *Maſcard. d.l.n. 32.* & reus innocentiam ſuam ſemiplenè probavit *Menoch. 2.A.J.caſ.464.n.10. & ſeqq.*

An in cauſ. feudalib.? §. 6. Cauſis magnis etiam Feudales annumerantur *Sichard.ad l.3.n.10.C.h.t.* ideo nec in his juram. hoc obtinebit, niſi quis ſit poſſeſſor feudi *Socin. reg. 252. fall. 27.* quia tunc poſſeſſio ſemipl. probationi aliquid adjicit, ſemper n. poſſeſſor prævalet ejusque conditio melior *c. ex literis 3.X.de probat.c.6.X.de præſcript.* vid. *Maſcard.v.3. C.1142. n.27.* Unde ſi dominus feudum (quod in dubio potius antiqvum præſumitur *Alciat.de præſ.reg.3.præſ.28.n.1.*) novum eſſe affirmet, & vaſallus ſit in poſſeſſione, hæc pro feudo antiquo præſumptionem parit, ut vaſallo adhuc ſemiplenè probanti juram. ſupplet. deferri poſſit, in caſu n. dubio & pari, pro poſſeſſore pronuntiandum *c.11.X.de R.J.in 6.l.2. C.de condict. ob turp.cauſ. Menoch. 2.A.J. Q. cent. 2. caſ.191.*

An in cauſ. ſpiritual. beneficial. famoſis? §. 7. Ad cauſas arduas referuntur etiam Cauſæ Spirituales, Monachales, Beneficiales, Fiſcales, Status *Socin.reg.252.fall.11. & 35. A.Fab.in C.4.t.1. d.44.* Cauſæ Famoſæ ex.gr. actio doli, furti, vi bon. raptorum, Uſurarum,

pe-

injuriarum &c. *l.1.ff. de his qui not. infam:* & omnes illæ, ob quas quis de jure, vel ſententiæ lata ſit infamis. Nam cum hæ cauſæ capitalibus æquiparantur *l.9.ff. de man.vind.* (non quidem ſimpliciter ſed ſecundum quid) in quibus plena probatio neceſſaria, Juram. hoc ſufficiens non erit. Niſi plus (1) quam ſemiplenè ſit probatum *Beuſt. ad l.31.n.267. Jaſ. in d.l.n.281.ff. de jurej. Berlich. p.1.C.54.n.97.* vel (2) Reo in caſu, quo civiliter agitur, ad innocentiam ſuam probandam, deferatur *per l.6.§.4.ff. de his qui not. infam. l.18. in f. C. eod.* Actori n. ad hoc ut reus condemnetur & infametur, deferri nequit. *Berlich. p.1.C.54.n.20. Peretz ad t. C. de R.C. n. 25.* Quod & in ſpecie de diffamante aliquem de ſtupro, tradit *Magnif. Dn. D. Richter p.1. deciſ.8.n.68.& 69.* *Limit.*

§. 8. Non etiam locum habet juram. ſupplet. in cauſis, in quibus lex, vel ſtatutum, vel alia diſpoſitio, probationes indubitatas, exactiſſimas, pleniſſimas, evidentiſſimas, manifeſtas, liquidas, dilucidas, plenas, veras, legitimas, plenam fidem, deſiderat *Maſcard. v.2. C. 956. n.44. Socin. reg. 252. fall. 1.* Tunc n. probatio per plures teſtes idoneos, inſtrumenta, vel confeſſionem adverſarii, munienda *Vivius in C.O. verb. Juram.* Unde (1) non defertur ad probandam ingratitudinem vel cauſas, ex quibus liberi vel parentes exheredari poſſunt, quia liquidæ & indubitatæ probationes requiruntur *l.ult. verſ. ex his tantummodo cauſis ſi fuerit in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ &c. C. de Revoc. donat. ibiq; Franciſc. Ripa qu.57.l.10. in f. C. de ſecund. Nupt. Nov.115.c.3.pr. Beuſt. ad l.31.n.281.ff.h.t. Berlich. p.1.C. 54.n 35.* Sic ingratitudo vaſalli ad hoc, ut feudo privetur, non niſi quinque teſtibus ſummæ & integræ opinionis, manifeſtè probari debet. *2 F.57. in f.* (2) Ad banni vel excommunicationis exceptionem probandam, quia & illa apertiſſimis documentis demonſtranda *c.1. §. ſi quis igitur de Except. in 6. Socin. reg 252. fall.19.* (3) Ad docendam læſionem *ex l.2.C. de R. Vendit.* cum juxta *Pinell. ad d.l.2.p.3.c.ult.n. 13.* læſio perſpicuè demonſtranda. Et quia valor rerum magis ab aliis quàm ipſo læſo ſciri præſumitur *Hillig. Donell.*

1. Non defertur juram. ſuppl. ubi pleniſſima probat. requiritur.

2. In probanda ingratitudine.

Except. banni vel excom.

Læſione ex l.2.C. de R. V.

nell. Encl. 24. c. 19. lit. y. Berlich. p. 1. C. 54. n. 92. (4) Ubi quis
In ſolut. recipienda. ad ſolutionem recipiendam conſtitutus, quia ejusmodi mandatum (quod vel ſpeciale vel generale omnium bonorum eſſe debet *l. 12. pr. l. 34. §. 3. ff. de ſolut.*) liquido probandum *Jaſ. in l 31. n. 293. ff. de jurej.* (5) Si fidejuſſor pro principali ſolvit, legitimè ſolutionem probare debet jux *c. 2. in med. X. de fidejuſſ.* Diſs. *Hering. tr. de fidejuſſ c. 20. §. 1. n. 65. & ſeqq.* qui judicis arbitrium intervenientibus legitimis requiſitIs hoc in caſu multum poſſe, putat. (6) Si quis ut ceſſionarius agere
In Ceſſione. velit, is liquido prius de ceſſione & titulo docere debet *l. 39. ibi nec ei ceſſæ actiones ff. & l. 11. C. de fidejuſſ. A. Fab. in C. 4. t. 29. d. 13.* ita ut non ſufficiat ſemiplena probatio cum juramento, ut ex
Execut. Judicii. Bart. refert *Col. de P. E. p. 2. c. 2. n. 70. Socin. d. R. fall. 9.* (7) In executione judicis *Socin. d. reg. fall. 10.* vel ultimæ voluntatis
Legitimat. perſon. *Bald. in l. 39. § 1. n. 6. ff. de procurat. Socin. d. r fall. 34.* (8) Ubi de legitimatione perſonæ tractatur *Wurmſ. 1. t. 14. O. 12. n. 5.* quia juxta *Bald. ad d. l. 39.* de mandato aperte liquere debet, etiamſi
Lim. cauſa ſit ſummaria *Maſcard. 2. C. 974. n. 4.* Revocatio verò mandati hoc juram. probari poteſt *c. ex inſinuatione 3. X. de procurat.*
Reſcindenda ſentent. *Zang. de Except. p. 2. c. 8. n. 72. & 73.* (9) Ubi de reſcindenda ſententia agitur, tunc enim manifeſtis probationibus religionem judicis circumventam eſſe, oſtendendum *l. f. C. ſi ex falſ. inſtr. Bald. in l. ult. C. ſi minor ſe maj. Socin. fall. 26. Berlich. d. l.*
Impedimento appell. proſeq. *n. 38.* (10) Si impedimentum appellationis proſequendæ probandum. *l. f. §. illud ibi evidentisſimis probationibus C. de tempor. appellat. Berlich. p. 1. C. 50. n. 176.*

§. 9. Caſibus jam relatis in quibus Juram. ſupplet. locum
In diſpoſit. condit. non habet, ſequentes etiam adjungere lubet. Ut ſi (1) probationis mentio in diſpoſitione conditionali fiat ex. gr. Titio lego Bibliothecam meam, ſi per quinquennium ſtudiorum cauſa in Academiis vixiſſe probaverit, hoc caſu verba de legitima probatione ſunt intelligenda & conditio hæc in forma propria & ſpecifica impleri debet. *arg. l. 44. pr. ff. de condit & dem. Bald.*
Praſcriptione. *in. l. 3. C. de R. C. Schrad. ad l. 31. n. 307. ff. de jurej.* (2) Si probanda Præſcriptio, quia per ſe odioſa *Bald. in l 31. n. 23. Marſil. ſing. 635. Beuſt. ad d. l. 31. n. 595. Carpz. p. 1. C. 23. d. 10. n. 4.* (3) Conſuetu-

ſuetudo, quia veriſimiliter pluribus nota eſſe debet *l. 31. ff. de LL.* qua ex ratione unius teſtimonium circa eam, ſemipl. probationem non facit. Hoc tamen in conſuetudine alterius loci vel civitatis, vel etiam multum antiqua, ut vix veriſimile inveniri aliquem qui recordetur, limitant *Caccial. ad l. 31. n. 162. verſ quod tamen limit. Maſcard. 1. C. 423. n. 22. & ſeqq.* (4) Notorietas (facti ſcil. tranſeuntis) quæ veriſimiliter per plures ſciri debet *Mynſ. 6. O. 31. Socin. d. R. fall. 29. Berlich. p. 1. C. 54. n. 81.* Plura de hujus mat. prob. vid. ap. *Ant. de Butrio tr. de notorio art. 4. n. 30. & ſeq. & Benedict. de Capra eod. tr.* (5) Donatio, quia ei ſemper generalis illa præſumptio obſtat, quod nemo ſuum jactare præſumatur *l. 25. inf. pr. ff. de probat.* Imo potius error, qvam donatio præſumitur. *Weſenb t. ff. de donat. n. 4. Maſcard. v 2. C. 956. n. 25.* (6) Dolus *Celſus Bargal. 4. de dol. c. 8. n. 41. Hill Donell. Enucl. 24. c. 19 lit. y.* cum contra ſemiplenam doli probationem, bonitatis præſumptio obſtet. *l. 51. ff. pro ſoc. c. dudum X. de præſ. Menoch. 1. præſ. 83. n. 3.* & dolus claris manifeſtisque indiciis ſit probandus *l. 6. C. de dol l. 18. §. 1. ff. de probat. Socin. d R. fall 18.* (7) Si probanda pœna adjecta ex conventione *Beuſt. ad d. l n. 287.* (8) Error notarii in inſtrumento commiſſus *Socin. d. R. fall. 6. Beuſt. d. l. n. 388.* Plures caſus vid. ap. *Berlich. p. 1. C. 54.*

Conſuetudine. *Lim.* *Notorio.* *Donatione.* *Dolo.* *Pœna adjecta.* *Errore Notarii.*

§. 10. In caſibus autem, In quibus juramentum ſuppletorium locum non habet, reus non ſtatim abſolvendus, cum ex ſemiplena probatione præſumptio contra eum oriatur, licet ad condemnationem imbecillior. Sed in ejus locum juramentum purgatorium (quod non modo in criminalibus ſed etiam civilibus cauſis receptum eſt, ubi reus urgentibus oneratus præſumptionibus. *P. Heig. p. 1. q 40. n. 25.*) defertur, quo ſemiplenam probationem vel præſumptiones contra ſe militantes amoliri debet. *Maſcard. v. 2. Concl. 956. n. 29. Carpz. p. 1. C. 22. d. 14.*

Ubi ceſſat juram. ſuppler. ibi ſucc. cedit purgator.

CAPUT QVARTUM
DE
Perſona Juram. Suppletor. Deferente.

§. 1.

Quis judex hoc juram. deferre poſſit?

JUram. Supplet. ſolus Judex qui Jurisdictionem habet, & coram quo cauſa vertitur, defert. *l. 1. ibi vel ex autoritate judicis controverſiæ deciduntur l. 31. verſ ſolent ſæpe Judices ff. & l. 3. l. 12 pr. ibi vel à judice C. de jurejur.* Sive ſit Ordinarius, ſive Delegatus *Bart ad l. 3 n. 29. verſ. quæro de quo judice C. d. t. Beuſt. ad l. 31. n. 164 ff h. t. Andr. Corvin. aph. J. Can. 3. t 31. pag. 213.* Sive Arbiter neceſſarius *Jaſ. in l. 31. n. 326. verſ. idem teneo in arbitris neceſſariis Berlich p. 1. C. 53. n 8.* Modo prævia cauſæ cognitione delatio fiat; In qua probè ponderanda (1) facta ſemiplena probatio. (2) perſonarum conditio, dignitas & fides. (3) cauſæ natura & qualitas. *Sichard. ad l. 3. n. 5. C. h. t. Gail 1. O. 108 n 10.* His exacte trutinatis, Judex vel ad inſtantiam & petitionem partis, vel ex officio juramentum hoc defert.

Ad juram. ſuppl. quis ultro ſe offerre poteſt

§. 2. Pars autem litigans quæ jam ſemiplenè probavit, ultro ad hoc juram. ſe offerre, & ut ſibi deferatur, petere poteſt. *Ca-cialup ad l. 31. n. 241 ff, & Salic. ad l. 3. C de jurej.* Forma petitionis plerumque talis eſſe ſolet, etiam in Provinciis Saxon. Titius ſe ſatis probaſſe exiſtimat, ſed ſi hoc præter expectationem ipſius non eſſet factum, petit in eum caſum juram. ſuppletorium ſibi deferri *Beuſt. ad l. 31 n 427. Setſer. 4 c. 16. n. 2.*

Neque fit ſuſpectus.

Neque hac petitione (tanquam teſtis in cauſa propria) ſe ſuſpectum reddit, quod ſolummodo verum ſi proprio motu & nullis aliis adminiculis & documentis inſtructa ad jurandum ſe ſiſtat *Col. de P. E. p. 1. c. 10. n. 144.* Quibus ſi eſt parata, jure permiſſum & quod judex facere cogitur, petere cenſetur, cum cauſæ probationum inopia juramento decidi ſoleant *l. 3. C. de Jurej. Fachin. 1. Cont. 17* Diſs. *Bart. Jaſ. in l. 31. Panormitan. in c. f. § ſane X. h. t.* ſtatuentes, imperſonaliter juramentum hoc peti debere, vel ſufficere ſi quis dicat: Non poſſe hanc cauſam

niſi

niſi juram. victoris decidi. Sed horum ſententiam *Salicet.* de honeſtate & modeſtia, qvam de jure veriorem putat, ſicuti & *Maſcard. v 1. C. 956 n 58. & 59.* notat, Prudentius agere partem, ſi conditionaliter in quantum ſcil. expediat, non aſſertivè, juram. petitionem concipiat.

Peti poteſt poſt publicat. atteſt.

§. 3. Peti poteſt hoc juram. in quacunque judicii parte etiam poſt aperturam & publicationem atteſtatorum *A. Fab. in C. 4 t. 1. d. 27.* Quia timor ſubornationis ceſſat ſicuti in inſtrumentis; *c. dilectus 9. X. de fide inſtr.* & eo demum tempore ſemiplenè probatum eſſe verè conſtat *Coler. de P. E. p. 1. c. 10. n. 141.*

Non poſt concluſionē in cauſa.

Non tamen poſt concluſionem in cauſa, hoc eſt, quando probationibus & allegationibus utrinque renunciatum eſt *c. paſtoralis X. de cauſ. propr. & poſ. Carpz. p 1. C. 2 . d 9. n. 3. Mynſ. 1. O. 68. n f Maſcard. d. C. 956. n. 50.* Cum ſit ſupplementum, adeoque pars & ſpecies probationis *Bachov. ad Tr v 1. d. 11. th 10. l e.* Sed facta utrinque concluſione probationibus omnibus renunciatum & partibus os clauſum eſt *arg. c. cum dilectus 9. X. de fid. inſtr. Gail. 1. O. 108. n. 2.* Diſs. *Salic. ad l. 3. n. 9. C. de jurej. Fachin. 1 JC. 17. Setſer. 4. c. 15 n. 4. & ſeq.*

At rectè poſt termin. probat.

Poſt terminum autem probatorium elapſum juram. hoc rectè adhuc peti poteſt, quia in ſimplici termini aſſignatione ad probandum juram. hoc non venit, cum non ſit propria probationis ſpecies, ſicut illa probatio quæ fit per teſtes & documenta *Maſcard. d. l. n. 51. Carpzd. def. 9. n. 7.*

Limit.

Niſi terminus per omne genus probationum, vel alia verba univerſalia partibus aſſignatus ſit, ita ut poſt illum nulla amplius probatio admittatur, tunc etiam probatio per juramentum ſubincluditur *Setſer. 4. c. 15. n. 14. & 15.* Et probatum habere per omne genus probationis, habetur pro concluſo in cauſa *Maſcard. d. l.*

Et in appell. inſtantia.

Licet etiam juram. hoc in prima inſtantia à parte non ſit petitum, attamen in leuterationis & appellationis, quin adhuc peti & præſtari poſſit, dubium non eſt. *Gail. 1. O. 108 n. 9.* Cum in ſecunda inſtantia omnes errores cauſas cauſæ concernentes purgari poſſunt *arg. l. 4. C. de ten [illegible]. appell. A. Fab. 4. C. t. 1. d. 27. Coler. d. l. n. 141. Setſer. 4. c. 5 n. 17. & 18.* Nec huic aſſer-

aſſertioni obſtat *Clem. ult. de teſtib.* quâ in appellat. inſtantia teſtes ſuper iisdem articulis produci vetantur, quia hoc propter ſubornationis metum, qui in juram. ſupplet. ceſſat, ſancitum. Quamvis de J. Hodierno & Camerali novi teſtes ſuper antiquis vel directo contrariis articulis admittantur ſecundum *Mynſ.1.O 4*.

Iudex deferre cogitur. §. 4. Si nunc Jurament. hoc jure petitum, Judex deferre cogitur *l.3.ibi opor. et C. de jurej.* (ſi juſtam recuſandi cauſam non habeat *Moll. ad.p.1.C 23.n.7.*) quod & officii ratio ei imponit, maximè ſi alia ratione, niſi mediante juramento, cauſam decidere nequeat *Carpz.p.1.C.23.d.1.* Unde ſi judex deferre recuſat, litem ſuam facit, & parti ad intereſſe tenetur, imo & ab eo quaſi partem gravaret, appellari poteſt. *Etſi nolit appellari poteſt.* *Sichard.ad l.3.n.10. C.h t. & ad Rubr. de probat.n. 7.Maſcard.v.2.C.659.n 2.Coler.de P.E.p.1.c 10.n.140. Carpz.p.1. C. 23.d.2.n.10.* Non obſtant verba *l.31.ibi ſolent enim ſæpè judices ff. de jurej.* per quæ judicis voluntati delatio hujus juram. permitti videtur. Quia hoc loco neceſſitatis ſunt, ſicuti ex *l.3.ibi oportet.C.eod.* declarantur.

Defertur etiam à judice ex officio. §. 5. Parte non petente, Judex Juram. hoc ex officio defert, ſi id expediri & æquitati conſentaneū eſſe cognoverit *l.21.ff.de in lite jurej. n jur.fac. Wurmſ.1.14.O 12.n.9. Setſer. 4. c.11.n.10.* Quia judicis eſt probationes ulteriores ad veritatem eruendam exigere & ea quæ deſunt partibus litigantibus ex jure ſupplere *l.un. C. Ut ea quæ deſunt adv. part. c. judicantem 30.qu.5.* Nec repugnat quod judex officium ſuum non niſi imploratus impertiatur *l.4.§.8.ff.de dam.infect.* Quia hoc in iis, quæ juris ſunt, fallit. *Hahn in Obſ. ad Weſenb. t.de jurej.pag 489.* Jam autem verba *l.31. ſolent judices.ff. & l. 3.ibi oportet judicem C. de Jurej.* ad judicem referuntur, ergo ejus officium etiam non imploratum in hoc verſatur. Imo ſufficit officium ejus initio pro juris & juſtitiæ adminiſtratione imploratum fuiſſe. *Gail. 1. O.108. n.6.* Non ſolum autem ante ſed etiam poſt concluſionem in cauſa, *Ante vel poſt concluſionem in cauſa.* prout judici viſum fuerit (ante concluſionem quidem non ſemper exacte ſcire poteſt, an opus ſit juram. ſupplet.

cum

cum etiam poſt publicatas atteſtationes usque ad concluſionem multa produci poſſint) juram. hoc deferre valet *l. 12. in f. pr. C. de jurej.* Quia nunquam quoad judicem in cauſa concluditur, ſed ex officio concluſionem reſcindere, ulterioremque partibus probationem injungere non prohibetur *c. Cum Johannes. 10. X. de fid. inſtr.* Et illud quotidie in Camera obſervari, refert *Gail. 1, O. 107 n. 5. ſv. Mynſ. 3. O. 17.* Etiam in appellationis inſtantia *l. 12. ſub f. pr. ibi omne igitur juramentum C. de jurej. Carpz. p. 1. C. 23. d 9 n. 2.* Cum judex in quacunq; judicii parte, & per oonſequens etiam in appellat. inſtantia ſupplere poſſit *l. un. C. ut quæ deſunt &c.* Parte adverſa invita, cum & judicium in invitos detur *l. 83. §. 1. ff. de V. O.*

Et in appellat. inſtant.

§. 6 A judice tamen deferente juramentum calumniæ exigi nequit. *A. Rauchb. p. 1 qu. 11. n. 35.* Quia cauſa illius juram. in ſola ſuſpicione & præſumptione litigii temerarii ac malitioſæ delationis, conſiſtit *l. 1. & 2. C. de jurej. propter calum.* Juram. autem ſuppletorium legale eſt, & à judice defertur. In leges verò utpote ſanctas *l. 9 §. 3. ff. de R. D. l. 9. C. de LL.* nulla calumniæ ſuſpicio, nec in judicem jure licito utentem', cadit *l. 3. §. 1. ff. quod met. cauſ. Moll. 2. S. 14. Carpz.. p. 1. C. 23. d. 13. Hahm in Obſ. ad Weſenb. t. de jurej. pag. 488.* Imo juram. calum. regulariter ab eo, qui ab adverſario in judicio petit, exigitur, Judex autem deferens, nihil petit, ſed vel apud eum petitur, vel ex officio jurare jubet. *Donell. de jurej. c. 13. n. 21. Peretz ad. t. C. de R. C. n. 26.* Nec etiam Judicem negotium, de quo agitur, concernit, ſed adverſam partem *Setſer. de juram. 3. c. 3. n. 68.* Quibus & hæc ratio accedit: Quod judex in officii ingreſſu jurare cogatur. *Auth. Hodie C. de judic. Nov. 15. c. 1. §. 1.* Unde neceſſum non eſt ut in ſingulis actibus, novo juramenti vinculo conſtringatur. Cum ſemper præſumptio pro judicibus, quod ſalutis ſuæ non ſint immemores, militet. *Ant. Del Re Tiburt. tr. de juram. calum. c. 15. n 25.*

Index deferens de calumnia non juras-

§. 6. Ut autem juram. hoc delatum validum ſit, de neceſſitate requiritur, ut altera pars ſit præſens, vel legiti-

Partis citatio, & præ-

mè

ſentia neceſſaria. mè ad videndum jurari, citata *arg. Auth. ſed & ſi quis C. de teſtib. Jaſ in l 31.n.21 ff. de jurej. Maſcard.2.C.956.n.60. Mynſ.1. O.68.* Quia cauſæ cognitio in delatione *l.3. ibi cauſa cognita C. de R.C.* & per conſequens partis adverſæ præſentia, exigitur *arg. l.13. ibi cauſa n. cognita & præſentibus adverſariis ff. de minor. l.3.§.8.ff. de bon.poſſ.*

Limit. Sufficit tamen (1) ſi pars adverſa per procuratorem legitimè conſtitutum præſens ſit *l.12.§.4. ibi licentia danda C. de R.C. Gail.1. O 108.n.8.* Vel (2) citata per contumaciam abſit *Auth. Qua in provincia verſ. ſed ſi nec ipſe. C. Ubi de crimine agi debeat.*

Judex non poteſt juram. hoc remittere §. 8. Judex jurare parato gratiam facere, & ſuſcepti Jurisjurandi voluntate contentus eſſe non poteſt, ut poſtea ſecundum eum, cui remiſſum eſt, ſententiam ferat, Quia (1) cauſa dubia jurejurando decidi jubetur *l.3. C. de R.C.* quæ verba præſtationis neceſſitatem important, & confirmantur in *l.31. in verb. ſolere judices exacto jurejurando judicare ff. de jurej.* (2) Dominus ſolus qui detulit, pro ſuo arbitrio remittere poteſt *l.6. ff d t.* Sed judex dominus litis non eſt. *Donell. de jurej. c.11.n 10. Treutl. v 1 d 21. th.10. l a.*

Sed Revocare. Semel autem delatum juramentum revocare poteſt, ſi juſta cauſa ſuperveniat, puta ſi judex poſt delationem, cauſam alterius meliori jure niti comperierit *Borch. de jurej. c.6. n. 12.* vel perjurii ſuſpicio oriatur. *l.14. ff de re jud. Seiſer. de jurum.4.c.15.n.16.*

CAPUT QVINTUM
DE
Perſona cui Juram. Suppletorium defertur & de Præſtatione.

§. 1.

Cui Juram. Supplet. deferatur. Ctori probanti, vel Reo reprobanti, juramentum ſuppletor. deferendum ſit, Judex ex perſonæ & cauſæ circumſtantiis arbitrabitur? *c.f.§. ſanè X. de jurej. l.3. ibi cauſa cognita. C. eod.* In perſonæ circumſtantiis ejus conditio & legalitas conſideranda, quæ non ſolum ex origine, loco & dignitate æſtimatur, cum ex legalibus & honeſtis parentibus

tibus ortus, talis etiam præſumatur *Menoch. 1. præſ. 15. n. 23.* majorque digniori quàm plebeio fides habeatur *l. un. ibi credidit ff. de Off. præſ. præt.* Proinde ruſtico non deferri hoc juram. tradit *Socin. Sen. conſ. 136. col. pen. lib. 1. relatus à Menoch. 2. A. J. Q. caſ. 190 n. 16.* Sed etiam ex rerum accidentiis, puta, paupertate, divitiis *Menoch. d. l. n. 16.* Contra pauperes enim præſumptio quod propter ſpem lucri facilius pejerent, quàm divites *l. 3. pr. ff. de teſt.* Modo divites opes ſuas juſto & legitimo titulo & non per uſurariam pravitatem, fraudes, & perjuria acquiſiverint, aliàs & contra eos, talis præſumptio militat *H Hartm. t. 18. O. 6. n. 9 & 10. Sichard. ad l. 3. n. 51. 52. C. de R. C.* Et ut multa paucis comprehendam; In perſona ejus, qui in ſupplementum jurare debet, omnia ea quæ in teſte examinantur, concurrere debent, veluti fides, dignitas & morum gravitas *l. 2 & 3 ff. de teſtib. c. Si teſtes. 4. qu. 2. Schneidew ad §. 11. 2. 44. J de actïon.* Et qui L. Julia *d l 3. § 5. de teſt.* à teſtimonio, illi etiam à juram. ſuppletorio, removentur *Caccialup. in l. 31. n. 144 ff. de jurej.*

§. 2. Unde Jure Communi Judæis cum Chriſtiano litigantibus, juram. ſuppletor. non defertur *l. 21. ibi vel his qui judaicam ſuperſtitionem colunt non eſſe in teſtimonia communionem. C. de Heret. & Manich. vid. Carpz. p. 1. C. 23. d. 7. n f.* Quia ſicut in fide ſuſpecti ſunt, ita & in humano teſtimonio dubii habentur *c. non poteſt 2. qu. 7. Jaſ. in l. 31. n. 296. ff. de jurej.* Imo pro infamibus & viliſſimis æſtimantur, adeò ut etiam omnia officia publica & dignitates ipſis denegētur *l. f. C. & c. pen. X. de Judæis c. Si hæreticus, 2. qu. 7.* Limitant tamen hoc Dd. ſi Judæus plus quàm ſemiplenè probaſſet, vel contra alium Judæum juram. hoc eſſet deferendum *l. 21. C. de Heret. & Manich. Cravett. conſ 73. n. 26. Menoch. 2. A. J. Q. 2. caſ. 190. n. 15.* Contra hoc Jus commune Judæis in Camera Imperiali juram. ſupplet. indiſtinctè defertur *Mynſ. 5. O. 6. H. Hartm. t. 18. O. 6.* ubi etiam teſtantur, in cauſa quadam conſuetudinem Germaniæ, ſtilum Cameræ, & quod Judæi pro Civibus Romanis habeantur, pro ratione deciſiva allegatum fuiſſe. Illud & hîc notandum. Judæos non per Chri-

Non defertur Judæis l. Com.

Limit.

Sed in Camera.

ſtum

ſtum, nec ſacra Evangelia, ſed per Legem Moſaicam & ſuper 10. DEI præcepta jurare ſolere *Mynſ.6. O.20.* Hodiè peculiaris formula des Jüden Eyds in *Ordinat Camerali p.1, art. 86.* Judæis præſcripta, cujus vigore per hæc verba jurant: Alſo helffe mir der wahre Gott Adonay.

Nec Infamibus. §. 3. Non etiam defertur Juram. ſuppletor. Infamibus *l 3. §.5 in f ff. de teſt. Afflict. deciſ. 56 in addit.* vel actionibus famoſis ob dolũ condemnatis e. g. tutelæ, mandati, depoſiti, furt, vi bonor. rapt. injuriarum *l. 1. l 4. §. f. ff. l. 18. C. Ex quib. cauſ infam Maſcard. C 956. n. 67.* *Vſurariis.* Uſurariis, *c. praterea. 7. X. de teſt cog. Afflict d. l. Lal. Zech. tr de uſur. c. 15. n 3.* Quod *Curt. in l. 31. n. 71. ff. de jurej* limitat in eo, qui deſiit exercere uſu- *Limit.* ras, modo uſuras illegitimè exactas reſtituat, licet n. deſiit eſſe uſurarius quoad tempus præſens & futurum, non tamen reſpectu præteriti temporis, tum adhuc uſuras exactas apud ſe retinet. Putat quidem *Zaſ. in l. 4. §. 4. n. 2. ff. de edend.* illum perpetuò manere infamem, licet deſinat uſuras exercere. Verum *Zaſ.* de eo caſu intelligendus, quando per ſententiam irrogata eſt infamia, vel quando poſt reſtitutionem uſurarum denuò uſuras extorſiſſe argueretur, *Spuriis.* vid. *Menoch. 2. A. J. Q. cent. 5. caſ 499. n. 27 & ſeqq.* Spuriis, eo quod levis notæ macula laborent *c coniunctiones 35. qu. 2. & c. cum multæ 15. qu. 8.* quæ teſtimonium attenuat *Heig. p 1. qu. 21. Habn in Obſ. ad Weſenb t de his qui not. infam. n. 2. Marſil. ſing 272. D. ß. Curt Senior in l 3. n. 5 ff. de jurej. Palaot. tr de ſpur c.* *Limit.* 55. Nos tunc ſpuriis ſi re & vita honeſti ſunt, juram. ſupplet. deferri poſſe ſtatuimus *arg. l. 3 § 2. ibi ceſſantibus his etiam ſpurii re & vita honeſti ff de decurion. c. nunquam 4. diſt. 56.* Secus ſi paterna ſectentur vitia *Setſer. de juram 4. c. 12. n. 6*

De Perjurio ſuſpect. De perjurio ſuſpectis *c. ille qui hominem & c. qui exigit. 22. q 5. Mynſ .O. 08. n. 3. Berlich. p. 1. C. 54. n. 70* Unde *Felin. in c. Apoſtolicæ n. 1 X. de Except.* notat; Judicem homicidam fore, qui veriſimiliter pejeraturo juram. defert. *vid. Menoch. 2. A. J. Q. cent. 2 caſ. 192.* Ad jurandum facilibus *Socin. reg. 252 fall 48. A Fab. C 4. t. 1. d. 44* *Perjuris.* Illis qui ſemel falſum jurarunt, quia ſunt infames *c. infames. 6. qu. 1. c. querelam 10. d. X. de jurej. c. parvuli.*

vuli.22.qu.5. & iis non credendum, qui veritatis fidem abjecerunt *c.non poteſt.in f.2.qu.7.* ſed ſemel perjurus beneficium probandi aliquid per juramentum, perdit. *H. Hartm. t.18.O 6.n.11* Sed ſi quis à perjurio abſolutus fuit, an illi juram. hoc deferendum? *Affirm. Afflict. deciſ.36.* ex ea ratione, quod peccator poſt peractam pœnitentiam, non dicatur amplius peccator *arg.c.ferrum. diſt 50.* Et abſolutus per in integrum reſtitutionem famoſo judicio, infamia eximatur *l 1.C.de ſent.paſſ.& reſt.* Quin nec hæc præſumptio, quod ſcil. ſemel malus, ſemper talis præſumatur, eſt ex neceſſitate, ſed cum quis reſipuit, ceſſat. *Bald.in l.1. in f. C. locat. Menoch.2.A.JC cent.5.caſ.464.n.19.& ſeqq.* *Limit.*

§. 4. Removetur etiam ab hoc juram. qui (1) culpa inſtrumenta amiſit, dilaceravit, aut obſuſcavit juxt. *Bald. & Paul.de Caſtr.in l.1. C.de fid inſtr.* (modo inſtrumenta fuerint de natura contractus *l. 17. C. de fid. inſtr.*) vel (2) qui plenè probare potuit, culpa & negligentia ſua excluſus fuit *Bald.in c.f.n.26.X.de jurej. Socin. reg 252. fall 51.* Quia juram. ſupplet. delatio eſt remedium ſubſidiarium & extraordinarium *arg.c.2. X de probat.* quod ei minimè prodeſſe debet, qui facto & negligentia ſua ab ordinaria probandi facultate excluſus fuit *arg l 1.§.pen.ibique Bart.ff.de dol. Beuſt. ad l. 3. n. 214. ff. de jurej.* Vel (3) ſi altera pars contrarium probare velit *Abb.in c.propoſ X de prob. H.Hartm.t.18.O.6.n.12.* *Neci ei qui inſtrum.ſua culpa amiſit, dilaceravit.*

§. 5. Non tamen à juram. ſupplet. arcentur illi, qui aliàs à teſtimonio ſola reverentiæ, affectionis, aut proprii commodi ratione, rejiciuntur. Sed hi tantùm, qui vitii, maculæ, vel defectus ratione non admittuntur. Cum enim hoc ſit ſpeciale, ut hoc caſu in propria cauſa teſtimonium dici poſſit, non eſt quærendum de conſanguinitate, amicitia vel commodo ejus qui juraturus eſt, aliàs huic juramento nunquam locus futurus eſſet *Caccialup. ad l.31.n.52.ff.de jurej. Maſcard.v.2. C.956.n.70.* *Non tamen rat. reverētia vel affect. vel cōmodi quis removetur.*

§. 6. In Rerum Circumſtantiis judex ponderare debet quinam graviorem & meliorem ſemiplenam probationem & majorem veritatis & victoriæ præſumptionem *Deferend. ei qui graviorem ſemipl. probat. haber.*

 pro

pro ſe habeat, tunc illi juram. hoc deferendum, ſive actor, ſive reus ſit. *Menoch.2.AJ.Q.caſ.190.n.19.* Quando autem pares ſunt utrinque probationes, ex.gr. ſi utrinque unus teſtis omni exceptione major eſſet productus, tunc judex ex perſonæ qualitate & legalitate, vel aliis circumſtantiis æſtimare debet, in quam partem inclinare velit *Carpz.p 1. C.23.d.7.n 6.* quo in caſu & ſexus attendendus, ut potius maſculo, quàm fœminæ juram. deferatur, *Tiraquell. de LL. Connub.9 n.72.* quia variæ & mutabiles ſunt fœminæ, adeoque ad pejerandum procliviores. *c. forus. 10. in f. X. de V.S. Carpz. d.5. n. 4.* Sed ſi paritas in omnibus inveniatur, reo potius quàm actori conſulendum. Quia in obſcuris proniores ad abſolvendum, quàm condemnandum eſſe debemus, reique aliàs actoribus favorabiliores ſunt *arg. l.38. ff. de re jud. l.47. de O. & A. c. ex literis 3. ibi quod ſi ambarum. X. de probat. Fachin. 1. JC.18.* Quia & actor probationibus inſtructus venire debet *l. 4. C. de edend.* Reus verò minus de perjurio ſuſpectus quod ab actore ultrò provocatus ſe neceſſariò defendat. *Peretz.t.C.de R. C.n.24. vid Berlich.p.1.C.53. n.16.& ſeqq.* ubi judici 7. *caſ. diſtin.* proponit. *Diſſ. Cyn. in l.3.C. de R.C.* ex ea ratione, quod reus retinendæ rei cupiditate citius, quàm actor pejeraturus præſumatur. Verum potius actor majori cupiditate fertur, ut obtineat, ne quod ſperet amittat, & calumniaturus videatur *Sichard. ad l.3.n. 55 & 56.C.d.t. Setſer.d.tr.4.c.13.n.f.* Sed ſi actor timeat, ne judex ex officio ſibi, ſed reo juram. ſupplet. imponat, cautelam hanc interponere poteſt, aſſerendo, reum ad præſtandum juram. ex hac vel illa ratione, ſibi eſſe ſuſpectum, quo judici viam præcludat. *Maſc. ard. de prob. v.1. qu.9. n. 57.*

Quid ſi prob. utrinque pares?

Et Qui veritatem per veram ſcient. habe.

§. 7. Maximè verò illi juram. ſupplet. injungendum, qui veritatem per veram ſcientiam, quæ ſenſu corporeo percipitur, ut quia ipſe actui interfuit, vidit vel audivit, cognitam habet *Mynſ. 1. O. 68. n. 2.* Non etiam per famam, auditum, vel per credulitatem firmam *Wurmſ. P.O.t.14.O.11.* Quia jurans loco teſtis eſt & irregularis dicitur, quod in propria cauſa teſtatur, ſicut a. teſtis de credulitate deponens

nens non probat. *Socin.reg.518.* ita nec hic *Maſcard. d. Concl. 956. n. 62.* Unde non ſufficit ſcientiam de auditu, per confeſſionem adverſarii, aut famam publicam habere *Menoch. 2. A. J. Q. cent. 2. caſ. 199. n. 7.* Niſi in facto antiquo, in quo veriſimiliter alii teſtes inveniri non poſſunt. *Caccialup. in l. 31. n. 252. ff. de jurej. Maſcard. d. l. n. 63. & 65. Sichard. ad l. 3. n 54. C. de R.C.*

Si nec Actor nec Reus, locus eſt juram. credul.

Si verò nec actor, nec reus certam ſcientiam habeat, nec de veritate jurare queat, tunc Judex ſuper credulitate ſaltem ei deferat juram. ſupplet. qui ſemiplenè probavit, & graviorem honeſtatis & veritatis præſumptionem pro ſe habet. *Carpz. p. 1. C. 23 d. 8. n. 2.*

Exempl. in Conſanguinitate.

Sic ob probationis difficultatem ſuper conſanguinitate actor vel reus de credulitate in ſupplementum jurare poſſunt. *M. Piſt. p. 2. qu. 83. Setſer de juram. 4. c. 14 n 7. Carpz. d. l. d. 12.*

Qui ex Univerſitate jurent?

§. 8. Si univerſitas vel collegium ſemiplenè probavit, illi ex univerſitate ad juram. pro univerſitate præſtandum admitti debent, qui veritatis conſcii dicentur, maximè verò, ſi in eo ipſo negotio rem univerſitatis tractaſſe probabuntur *l. 97. ff. de condit. & dem. l. 14. ff. ad municip. Ant. Fab. in C. 4. t 1. d. 40. Ord. Cam. p. 2. t. 10.*

An requiratur mandatum?

Non tamen in hoc caſu neceſſe eſt univerſitatis nomine mandatum exhibere, quia illi non tam univerſitatis, quàm proprio nomine, deque propria ſcientia jurant, nec ullibi ex univerſitate jurantibus mandati exhibitio injungitur *vid. Carpz. 3. t. 5. R. 41.*

Non defertur heredi nec in heredem tranſit.

§. 9. Quando de facto defuncti agitur, heredi juram. ſupplet. non imponitur. Neque defuncto delatum in heredem tranſit. Cum juſtam facti alieni ignorantiam habere præſumatur *l. 4 ff. de in lit. jur. l. 11. § 2. ff. Rer. amot. l. 42. de R. J. Schneidew. ad §. 11. n. 46. J. de Act. H. Hartm. t. 18. O. 6. n. 3.* Quod in dubio in herede extraneo procedit, non verò in filio, qui cum patre cohabitavit, vel in eo qui veriſimiliter factū defuncti ſcire præſumitur, ut quia defuncto fuit conjunctus, vicinus, contubernalis vel alio modo de facto informatus *Maſcard. d. C. n. 64. & Menoch. 2. A. J. Q. caſ. 190. n. 9.* Super hac tamen veriſimili ſcientia multum judicis arbitrium valet.

§. 10. Li

Propter ſuperveniẽtem mortem pro præſtito nõ habetur.

§. 10. Licet jurare juſſus ad hoc juramentum ſe expreſſe obtulerit, & ante ejus præſtationem deceſſerit, juram. tamen pro præſtito non habetur, ſed heredes de credulitate jurare tenentur *Carpz. 3. t. 6. R. 61. n 8. & 10.* Diſſ. *Mynſ. 1. O. 13. Gail. 2. O. 43.* (1) quod quilibet ſalutis ſuæ memor ſit *l. f. C. ad L. Jul. r. pet.* nec in peccato cum mendacio mori velle præſumatur *c. ſancimus 1. qu. 7.* (2) quod mors vim juramenti habeat. *Cothman. v. 1. conſ. 18. n. 129. Jas. in l. 31. n. 128. ff. de jurej.* Verum præſumptio illa, partim propter perverſam hominum malitiam, partim propter mortem ſæpe ex improviſo contingentem; ſemper vera non eſt, licet etiam (2) eo tempore quo ſe jurejur. obtulit, ſalutis ſuæ memor fuiſſe præſumatur, contingere tamen potuiſſet, ut in ipſo etiam jurandi procinctu religione aut conſcientia, ne jurare vellet, impediretur (3) nullo juris textu, mortem vim juramenti habere, probari poteſt, merito ergo generalitati regulæ ſtandum, cujus vigore juramentum ſolenne & legale realiter præſtandum.

Non poteſt recuſari.

§ 11. Juramentum hoc delatum regulariter recuſari non poteſt *l. 12. §. 2. C. de R. C. Weſenb. h. t. n. 7.* Niſi (1) actori intentionem ſuam teſtibus, inſtrumentis, vel alias plenè probanti, vel è contrario reo, actore intentionem ſuam nullo modo probante, deferatur; vel (2) de re ignota, inhoneſta & illicita, quod ſalva pietate & illæſa conſcientia præſtari nequeat, imponatur *l. 4. pr. ff. de in lit. jurand.* *Donell. de jurej. c. 13. n. 21.*

Lim.

Nec referri.

§. 12. Multo minus illud referre licet, ſed neceſſariò erit præſtandum, niſi detrectans cauſa cadere velit. Non enim judici referri poteſt, cum ſit iniquum eum de facto & re aliena jurare *l. 11. §. 2. ff. rer. amot.* Non parti adverſæ, quia non detulit, cùm non referatur, niſi quod ante delatum fuit *l. 34. §. 7. ff. de jurej. Donell. d. l. n. 21. M. Weſenb. v. 1. conſ. 3. n. 49. Carpz. p. 1. C. 14. d. 7. Perez ad t. C. de R. C. n. 26.* Nec contrarium ſuadet *l. 12. §. 1. C. de R. C.* ubi jusjuran. ex autoritate judicis illatum referri debere dicitur. Verum. reſpond. verba illa ad noſtrum juram. non pertinere, ſed ad id quod delatum quidem eſt ex autoritate judicis, ſed petente parte, ut judex id deferat, ut indicant verba illa: Quis enim ferendus ad appellationis auxilium veniens,

niens, in his quæ facienda procuravit. Aliter hoc diſſolvere conatur *Bachov. ad Tr. v. 1. d. 21. th. 10. l. d.* diſt. nim. An judex juram, hoc ad ſupplendas probationes alterutrius, an vero in caſu æqualium probationum deſerat. Hoc caſu relationis quædam ſpecies locum habet, & parti in alteram partem juramentum rejiciendi facultas datur. Verum hæc facultas totam juram. ſupplet. naturam evertit, niſi dicamus tunc magis ex nova conventione partium litigantium judice cognoſcente juram. referri.

§. 13. Sed an is cui juram. ſuppletorium impoſitum ad probationes confugere iisq; intentionem ſuam probare poſſit? Licet hoc cuilibet integrum *l. 30. pr. ibi cum omiſſa ff. de jurej. Schneidew. ad §. 11. n. 92. J. de Action.* Fruſtra tamen jurare juſſus ad hoc confugiet, quod antea præſtare & perficere non valuit. Niſi novos teſtes, inſtrumenta vel alia adminicula, quibus jam intentionem ſuam plene probare poſſit, invenerit, ſi enim juram. hoc præſtitum ob inſtrumenta noviter reperta poterit retractari, multo magis nondum præſtitum declinari, cum tunc ratio hujus juramenti plane ceſſet, & inſtrumenta etiam poſt terminum probatorium usq; ad concluſionem in cauſa produci poſſint *c. cum dilectus. 9. X. de fide inſtr.* Conceditur quoq; reo ad præſtationem juram. delati regreſſus, ſi juramentum ex ſemiplena probatione ſibi injunctum neglexerit. *Carp. p. 1. C. 14. d. ult.* *An jurare juſſ. ad probat. confugere poſſit?*

§. 14. A delatione hujus juram. appellare licet ei contra quem jurandum eſt; ne præſtetur. *Mynſ. 1. O. 39.* Imò licet à delatione intra 10. dies non fuerit appellatum, adhuc tamen à præſtatione appellatio in Camera recipitur *Mynſ. d. l. & 2. O. 14.* vid. *Beſold. tr. de Appell. c. 8. n. 3. Hill. Donell. Enucl. 24. c. 19. lit. bb.* Quo caſu peti poteſt à parte ut ſalvo jure appellationis ſibi jurare interim liceat, ne alioquin pendente appellatione, mortuo eo, qui jurare debuit, probatio intercidat *l. 12. pr. ibi evenit C. de* *A delat. juram. appellari poteſt.*

hil innovandum *t.t.ff. Nihil innov.pend.appell.* Quia hoc ex legis permiſſione fit. Aliter reſpõdet *Sichard ad l.12 pr.n.7.C.de R.C.*

Non poteſt praſtari per procurat. §. 15. Etſi Jure Civili juram. per procuratorem ſpecialē mandatum habentem præſtari poſſit *l.9.§.6.l.f. §.2.ff. de jurei. c.2.de teſt.in 6.* ſi ſcil. adverſarius in eum conſentiat, alias ſecus *l.12.§.4.C de R C.* Attamen juram ſupplet. ab ipſo principali præſtandum, quia tanquam loco teſtis in propria cauſa (in aliis verò juram. quis loco judicis eſt *l 1.pr.ff quar.rer. actio non dat.*) qui per procuratorem deponere nequit *c. Licet ex quadam* 47. *verſ.teſtes hujusmodi proprio juramento firmantes X.de teſt. Setſer. de juram.4.c.12.n* 20.*&* 21. Jure Sax. omne juram. in propria perſona præſtandum, nec procurator alterius nomine licet ſpeciali mandato inſtructus, admittitur Landr. 1.*art.46.verſ.* Wo es aber. *& lib.2.art.34.* Non ſine ratione, quia magis de ſalute animæ ſuæ litigantes ſolliciti in propria perſona jurantes, nec tam facile ad jusjurand. proſiliunt *A.Rauchb p.1.qu.8.n.*10. *&* 15. Judex etiam ex vultu & titubatione proclivem pejerandi voluntatem conjectare ac jurantem dehortari poteſt. *Carpz.p.1.C.* 12.*d.39.n.* 7.

Terminus praſtation. §.16. Præſtationi juramenti de Jure Civili nullus certus terminus præfixus, ſed communiter receptum, ut intra eum terminum qui probationi à judice conſtitutus eſt, juram. deponatur *A Rauchb.1.qu.*10.*n.*32. Quia loco probationis ſuccedit *Gl. ad pr.l.12.verſ.probationes C.de R.C.* Jure verò Saxon. intra terminum probatorium, h.e. ſex ſeptim. & tres dies juram. quis præſtare & intra octiduum ad ejus depoſitionem ſe offerre debet Landr. 1.*art.62. ubi Gl.* Ad quem terminum etiam juram. ſupplet. adſtrictum eſſe, teſtatur *Carpz.p 1.C 12.d.13.*

Sententia ferenda. §.17. Præſtito juram. ſupplet. ſententia deſuper à judice ferenda eſt, nec prius paratam executionem habet, donec lata, viresq; rei judicatæ conſecuta, cum non fungatur vice tranſactionis, utpote invitis partibus extortum, ſed ſaltem probationis ſuppletivæ. Ideò per ſe nullam actionem producit, cum ex probationibus actiones non oriantur. *Schneid. ad* §. 11. *n.* 100. *J de Action.* In ferenda autem ſententia jurante actore reus cõdemnandus, è contra jurante reo, actor abſolvendus *l.34.*§. 1. *ff. de*

ff. de jurej. Si actor jurare nolit cauſâ cadit, ſi reus habendus pro confeſſo *l. 5. §. 4. ff. l. 38 ff. d. t. l. 2. §. 6. C. de jurej. propt. calum.* Utroq; tamen caſu ſive juretur ſive non, ſententia inſequi debet *Habn in Obſ. ad Weſenb. t. de jurej pag. 490.* Ex qua actio & exceptio rei judicatæ naſcitur *§. 5. J. de Except. l. 74. pr. ff. de judic. l. 1. de re judic.* Illa ſi Actor, hæc ſi Reus juraverit. *Ex quâ actio rei judic. datur.*

§. 18. Ex juram. ſupplet. victus in expenſas victori non condemnatur, quod actor tantum ſemiplene probaverit, ubi victus facillimè credere potuiſſet, actorem juraturum non eſſe, cum pleriq; metu divini numinis usq; ad ſuperſtitionem timidi ſint ad jurandum *l. 8. pr. ff. de condit. inſt. Setſer. d. tr. 4. c. 18. Carpz. p. 1 C. 31. d. 27. Add. Ant. Fab. 19. Err. prap. 7. Joh. Aurpach. ſing. alleg. lib. 2. c. 5.* *Victus ex juram. ſuppl. in expenſ. non condemnatur.*

§. 19. Effectus juram. ſupplet. quod ſubeat locum probationis & finem litibus imponat *l. 1. ff. de jurej.* (2) quod per illud tantum obligatio civilis non etiam naturalis tollatur, ſicut per juram. judiciale *Oldend. Cl. 1. Act. 9. inf.* Quia naturalis regulariter ex conſenſu oritur, ideo contrario conſenſu per juram. actori à reo delatum tollitur *l. f. verſ. eam rem ff. de jurej. l. 95. §. 4. de ſolut.* Sed juram. ſupplet. invitis & absq; conſenſu defertur. (3) Quod non tranſeat in rem judicatam, quoad hoc ſcil. ut non poſſit probari contrarium, ſed illud quandocunq; repertis novis inſtrumentis fieri poteſt *l. 31. ff. h. t.* Quoad tempus autem deſertæ appellationis, in rem judicatam tranſit, alias ſequeretur quod ſententia ex hoc juramento nunquam executionem mereretur. (4) Quod per inſtrumenta de novo reperta retractari poſſit. *l. 31. ff. de jurej.* *Effect. juram. ſuppl.*

CAPUT SEXTUM
DE
Juramenti Suppletorii Retractatione.

intra legitimum tempus appellatum fuerit *l.28. §.1. ff. de appellat.* Quod commune auxilium ut vocatur *in l.3. §.1. ff. rem rat. hab.* omnibus victis conceſſum, niſi juſta cauſa id adimat *l.1.ff.l.20.l.20. C.de Appell.* At nihil hîc quod ademptionem cauſetur, intervenit. Cum enim hoc juram. invito litigatore ſit interpoſitum, invito etiam nocere non debet. Quin & Juſtinian. *in l. 12. §. 1. & 2. C. de R. C.* ei ſolummodo appellationis auxilium denegat, qui juram. detulit vel poſtulavit, etenim haut ferendus ad appellationis auxilium veniens in his, quæ ipſe facienda procuravit *d. §. 1. inf.* Ergo ſi quis jusjurandum non procuravit, appellationi locus erit *arg.d.tx Donell.d tr.c.1.n.12.Mynſ.1.O.39. & 2. O.14.Berlich.p.1.C 53.n 71.Carpz.p.1.C.15.d.8.* Neque hîc tam jurantis factum impugnatur, aut de perjurio ejus quæritur, quàm judicis an juſtè adverſarii ad ſupplem. hoc admiſerit *Beſold.de Appell. c.7.n.8.Hill.Donell.Enucl.24.c.19.lit.bb.*

2. Per inſtrumenta noviter reperta.

§. 2. Retractatur (2) Juram. Suppletorium ob inſtrumenta de novo reperta *l. 31. ff.de jurej.* (non noviter fabricata, tunc enim apertam falſitatem arguerent *Gl. in l. 31.lit d.*) Ratio non eſt odium perjurii ut *Gl.d.l.* putat. Quæ ſi vera eſſet, æquè in voluntario ac neceſſario locum haberet. *Rat.* Sed quod (1) hoc juram. à judice uni litigantium altero invito & reclamante & ſic ex neceſſitate deferatur *l.3.C.h.t.* Eo autem caſu quo aliquid ex neceſſitate fit, multò benigniora jura ſunt, quàm quo ex voluntate. Neq; ei, qui ſibi ipſi neceſſitatem impoſuit, ſubvenitur *arg.l.7. §.1. inf.ff.qui ſatisd cog.l.56.§.1.ff.de evict. Sichard.ad l.1. n.3. C.de R. C. Magnif.Dn.D.Ungebauer.Exer.Juſtin.15.qu.2.* Quia (2) probationum inopia Judex juram.ſupplet.impoſuit, E.emergens probationum copia id infirmabit *Bronch. cent. 2. aſſ. 26.* Secus ſe res habet in juram. voluntario & judiciali *l.31.ff.l. 1. C. de urej.* Quia ibi non aliud quæritur quàm an juratum ſit, remiſſa quæſtione an debeatur *l. 5. §.2. l.29. ff. d.t.* Et qui illud defert, quaſi decidens & tranſigens cum adverſario, cedit ei liti ſub conditione ſi juraverit, non ſi verum juraverit *l.21.ff.de dol.mal.* Ideo ſibi imputet, qui fidem

dem jurantis ſecutus, cumq; judicem in cauſa conſtituit *l.26.pr.ff.de jurej.l.1.pr.ff.Quar.rer.act.non.dat.* Quod ergo ſemel mutua conventione ſopitum & tranſactum, ſub ſpecie inſtrumentorum poſt repertorum rurſus retractandum non eſt *l. 19. l. 41. C de tranſact.* Quæ rationes cum in juram. ſuppletorio deficiant, meritò retractio in eo ſibi locum vindicabit.

§.3.Licet aliàs ſententia quæ vires rei judicatæ conſecuta eſt, novis repertis inſtrumentis regulariter nō retractetur *l. 4.C.de re jud.*(niſi ob bonū publ.in cauſa Civitatis, fiſci,*l.un.C.de ſent.adverſ.fiſc.lata retract.lib.10.*Eccleſiæ,pupilli, minoris *l.35.ff.d.t Socin.reg 447.Myns.4.O.60.*) Non tn.hoc in ſententia ex probationibus privilegiatis & ſubſidiariis *arg.l.f.C.ad L. Jul. de adult.* præſertim falſis & doloſis, lata *l.75.verſ.Marcellus ff.de judic.l.1.& 2.C.ſi ex falſ.inſtr.* verificatur.*Hahn in Obſ.ad Weſenb.t.de re jud.pag.534.* Juram.autem ſupplet. ejusmodi probationis ſpeciem eſſe exinde patet. Quod jurans ſibi ipſi contra jus commune teſtimonium ferat *l.10.ff.& l.10.C.de teſt.Mynſ.4.O.12.n.7. & 8.Weſenb.ad ff.t.de jurej.n.11.Socin.reg 447.fall. 8.* Et quod non niſi probationum inopia deferatur *l.3.C.de R.C.Setſer.d.tr.4.c.17.n.4.& 5.*

§. 4. Non tantum actori, ſed etiam reo ob inſtrumenta noviter reperta cauſam ex integro agere permittitur. *l.ult. ibi ſoluti dari repetitio C. Si ex falſ. inſtr.* cum non debeat actori licere,quod reo non conceditur *l. 41.ff.de R.J.* & rei alias favorabiliores actoribus ſint *l. 125. d. t.* Nec contrariatur,quod verba *l.31.ff.de jurej* potius ad actorem, qui propriè cauſā ex integro agere dicitur,referenda eſſe videantur. Quia conſulto hoc de actore,de quo major eſt dubitatio,poſitum ut ex eo quod minus dubitationis ha-

Tam Actor quàm reus juram. retractare poteſt.

loque malo abſcondit, dignus eſt ut cauſæ jacturam patiatur *Setſer.d.tr.4.c.17.n.11.* Unde ut producens à doli ſuſpicione ſe liberet, juramento, ſe poſtea ad inſtrumentorum notitiam & copiam perveniſſe, fidem facere debet *c. Paſtoralis.4.X.de Except. Ant.Fab.19.Err.prag.5. Semphin. priv. juram.38.Mynſ.2.O.53.in.med.Beuſt ad l.31.n.100.ff. de jurej. Berlich.p.1.C.38.n.95.* Cuj⁹ juram. ſtatur, ſi ab adverſario præcedens ſcientia non probetur. *Menoch.A J Q.caſ.24.* præterea requirit ut producens probet ſe prius diligentia in illis perquirendis uſum, & ut aliis indiciis adjuvetur.

Et inſtrum. ſola absque aliis adminiculis ſufficiant.

§. 6. Producens inſuper ſe ſolis inſtrumentis illis novis uſurum proteſtari debet, *l.31.ff. de jurej.* quæ absque aliis adminiculis ſufficientia eſſe oportet, ut ſola illorum productione perjurium manifeſtari & veritas conſtare poſſit. Nam ſi alias adhuc probationes, quæ non in promptu ſunt, ſive præcedentes, ex quibus novis inſtrumentis aliquid adminiculi accedere poſſit, ad ungere neceſſe ſit, audiendus non erit, vocula enim *ſolus* excludit antea producta inſtrumehta *Hillig.Donell.Enucl.24.c.19.lit y.Setſer.d.c.7.n.12.* Nec etiam admittendus, ſi quis inſtrumentum amiſſum eſſe dicat velitque amiſſionem & quæ in inſtrumento continebantur, probare.

Nõ retract. teſtibus.

§. 7. Inſtrumentis autem ſolis, non etiam teſtibus poſtea repertis juramentum ſupplet. retractatur. Quia (1) *in l.31.verſ.ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus ſolis uſurus ſit ff. de jurej.* qualitas verbo (inſtrumentis) adjicitur, quæ adjecta diſpoſitionem reſtringit. Quia (2) in teſtibus aliqua ſubornationis ſuſpicio latitat, tum judici conſtare non poteſt, utrum antea de cauſa notitiam habuerint, an nunc primum mendaciis ad falſum teſtimonium inſtructi, producantur. In inſtrumentis verò falſitas facile ex vetuſtate & novitate literarum, chartæ, manu ſcribentis, die & conſule deprehenditur *Donell.d.c.11.n.13. Ant. Fab.19. Err.prag.5.Treutl.v 1.d.21.th.10,l e.Setſer d.c.17.n.9.* Quibus (3) hanc rationem *Berlich.p.1.C.38.n.105.* adjungit. Quod teſtes de novo producendi, non ita expeditam ſine ulteriori

riori cauſæ cognitione probationem faciant, cum prius partis citatio, articulorum & interrogatoriorum confectio, juram. præſtatio & examinatio, requiratur; Quæ omnia in inſtrumentis ceſſant: *Rat. dubit.* Licet aliàs in exercendis litibus inſtrumentorum fides & depoſitiones teſtium eandem vim obtineant *l.15.C.de fid.inſtr.* & appellatione inſtrumentorum etiam teſtes contineantur *l. 1.ff. de fide inſtr.c.4. X.de teſt.cog.* Attamen illud ſic intelligendum, dummodo *Reſp.* in utroque genere nihil ſit ſuſpectum, teſtimonii enim ſuſpecti fides ſive ſit in inſtrumentis ſive teſtibus, in totum rejicitur. *l.2.C. de fid.inſtr.* (2) Hoc ſit in latiſſimo ſignificatu & quoad effectum (non quoad modum) cauſam inſtruendi. In noſtra vero *l.31.ff. de jurej.* à proprietate vocabuli recedendum non eſt. *Diſſ Beuſt. ad l 31.n.85. & ſeqq. Coraſ. ad l.31.p 2.n 27. & ſeqq.*

§. 8. Cauſa ob inſtrumenta noviter reperta citra *Nec per re-* reſtitutionem in integrum retractatur, cum ipſo jure, i.e. *ſtitut. in* Conſtitutionibus Principum *l.31.verſ. conſtitutionibus principum.ff. de jurej.* hoc ſit conceſſum. *integrum.* Ei autem qui communi auxilio & mero jure munitus, extraordinarium auxilium concedendũ non eſt *l.16.ff.de minor* ¶.1.*C.de theſaur. Fachin.11. C.J.26.Donell.d.c.11 n.ſ* Quia (2) cauſa ex integro agi jubetur *in d.l.31.* quæ verba im̃ediatè non ad judicẽ, ſed ad partem litigantem referuntur, cujus proprium eſt cauſam agere in judicio. Et ex integro cauſa agi dicitur, non per reſtitutionem in integrum, ſed cum lata ſententia ipſo jure nulla eſt, & priſtina actio & cauſa naſcitur, perinde ac ſi nulla ſententia lata fuiſſet *l.25.ff.de dol.mal.l.14.C.de tranſact. l. 2. C.ſi ex falſ. inſtr. Carpz.p.1. C.15. d.5.n.5 Hahn in Obſerv. ad Weſenb.t. de jurej. n. 11. Berlich.p.1. C.53.n. 81.* Si (3) reſtitutione in integrum opus eſſet, ſententia tantum usq; ad

rentiæ *l. 33. ff. de re jud & l. 2. C. ſi ex falſ. inſtr.* ubi reſtitutione opus eſt. Quod probationes per teſtes & inſtrumenta (licet in individuo falſæ) per ſe tamen veræ ſint probationes, ex quibus ſententia difficilius reſcinditur. Quamvis verba *l. 33. verſ in integrum reſtitue ff. de re jud.* neceſſariò non inferant ſpeciali illo reſtitutionis beneficio opus eſſe, ſed commodam explicationem recipiunt ex *l. 2. C. ſi ex falſ. inſtr.* Ubi ex integro cauſa audiri dicitur, ita ut v. e. abſoluto reo priſtina actione experiri liceat, & exceptio rei judicatæ falſarum probationum replicatione elidatur. Tamen hæc ipſa quandam reſtitutionis ſpeciem continere videntur *Bacchov. ad Tr. v. 1. d. 2. th. 10. l. e.* Diſſ. *Odd. de reſtit. in integr. qu. 74. art. 5. Beuſt. ad l. 31. n. 84. ff. de jurej. Rosbach. Pr. Civ. t. 67. n. 16. Setſer. de Juram. 4. c. 17. n. 13.* & noviſſime *Perez t. C. de R. C. n. 34.* Mediam viam eligunt *Caccial. Salic.* tunc reſtitutionem in integrum neceſſariam putantes, ſi quis errore ductus falſum juraverit, non vero ſi dolo & ſcienter

Solutum ex juram. hoc repetitur.

§. 9. Detecto nunc perjurio ſi quid ex jurej. & judicato ſolutum, ut indebitum repetetur, *l. 4. C. Si ex falſ. inſtr.* ex hujusmodi enim perjurio nullum lucrum accedere debet *l. f. C. de R. C. l. 3. §. ult. ff. de calum.* Et quod nondum ſolutum, oppoſita doli exceptione retinebitur, cum dolo faceret ſi id quod mox redditurus eſſet, peteret *l. 173. §. f. ff. de R. J.* & cui ſoluti repetitio, multo magis ne ſolvere cogatur, doli exceptio conceditur, *A. Fab. in C. 4. t 1. d. 2.*

FINIS.